OPUSCULUM THEOPHILOSOPHICUM DE PRINCIPATU,

SEU ANTELATIONE MARIANÆ GRATIÆ

ILLVD S. JOANNIS DAMASCENI ORATIONE PRIMA

DE NATIVITATE VIRGINIS MARIÆ

Circa principium explanans effatum:

Etenim natura gratiæ cedit, ac tremula stat progredi non sustinens: quoniam futurum erat, ut Deigenitrix Virgo ex Anna oriretur, natura gratiæ fœtum antevertere minimè ausa est; verùm tantisper expectavit, dum gratia fructum suum produxisset.

Ubi concordatâ Physicâ cum Theologia;
Naturâ cum Gratia; Scientiâ cum Religione, Scholasticam accendit facem
Ad primordialem Immaculatæ Virginis Dei-Genitricis
In Primo suæ Conceptionis Instanti gratiam
NONNIHIL ILLVMINANDAM.

A Patre Francisco Xaverio Lazcano,
Societatis JESU,
In Regali, ac Pontificia Mexicana Academia
Professore Theologo elucubratum.

Anno  1750.

MEXICI: Ex Typographia Regalis, & Antiquioris S. Ildefonsi Collegij.

Illibato prorsus, insimul ac glorioso Dei-Genitricis semper Virginis MARIÆ in Guadalupana Mexicea effigie ab ipsa Reginæ omnigenæ sanctitudinis manu graphicè adumbrato momento.

NESCIO, QVO LENOCINANTIS FORTVNÆ FATO evenisse crediderim, Pulcherrima mulierum, ut magnifica de te cogitanti versaretur ante oculos Cœlicis mihi depictum lineamentis totum, quod animo sæpe volveram, argumentum. Ita ductante Numine comparatum est, ut cùm Animam, meliorem partem tuæ genialis amplitudinis contemplarer diutiùs, ab Omnipotentis dextera collocatam à primis incunabulis in Empyreo, dum ex nihilo illam in sublimem, unoque Deo minorem Ingeniosus ipse rerum Molitor eveheret excellentiam; intuerer quoque sæpiùs patrio in Solo, lumine corporeo Guadalupanam ad miraculum speciem, te venustissimam egregiè referentem. Et quidem supra naturam, supra gratiam, supra communem Gloriam nostræ viderunt Gentes, quod nobis cunctæ inviderunt Nationes, & nec prophana inter prodigia, nec mortalia inter portenta florentia retrò sæcula aliquando celebrarunt. Flores apparuerunt in terra nostra. Sed qui Flores, Deus Immortalis! Quæ Rosæ! Quæ Lilia! Parùm profectò propalarim. Astra peregrino micantia idiomate in Occidente; Solem Orientem in Occasu; diem illum, diem longè feli-

cissimum. diem Cæli, diem, insoliti splendoris exordium, adeò dividentem lucem à tenebris, ut & noctis Præsidem Lunam, & æterea Sydera sibi adegerit famulantia! Nihil expresserim. Angelum nomine spiritualis, & gloriosæ Creaturæ, è Supremo delapsum Senatu suspicimus, famosam Omnipotentiæ amantis machinam cernuum suffulcire! Quæ omnia inauditum aliquid, & humanum supra captum augustum portendere cunctis ubique gentibus, etsi hebetioribus planè videbuntur. Tellus mediâ hyeme pullulat flores, florumque Reginam in rosis. Cælum mittit Solem, Lunam, & Astra. Altissima Spirituum Respublica mille conspicua titulis, mille illustris nominibus legat Nuntium. Rosæ purpuram, Sydera fulgorem, candorem Luna, Sol radios, Empyreum Principem, Spiritus Principes, intellectus in capite, volantates in pectore gratulabondi submittunt, in triumphalis Colossi signum, victrici tenerrimæ Puellæ plantæ: demonstrantes mortalibus, non modò quid Fæmina possit, sed multò luculentiùs, quid, & quantum possit Deus, dum singularem Fæminam efformarit.

His verè magnis dum animum oblecto, percipimus, planèque sentimus in totius creaturæ flore, ornamento, & coronâ unam Virginem, proprijs certatim depingentibus penicillis Guadalupanam lucem, umbram evasisse Conceptionis in Gratia, & Gloria inclytæ, ac Immaculatæ MARIÆ ad nuptialem Empyrei thalamum. Vbi amicta lumine, velut vestimento, operta Stellis, ut Prædestinatorum Mater, & Exemplar, exaltata refulget super Choros Angelorum, regio diademate inæstimabili conflato ardentioris Charitatis auro cingit tempora, cui nullum instans efluxit, quin dominante conspicua majestate ad altioris ordinis evecta Solium super omnes Creaturas, Numine Authore, ante conspectum, & triumphantis, & militantis Orbis se se in æternum adorandam exhiberet. Et quis per publicam fidem erit adeò à Sapientum Choro alienus, adeò in Sacra Pagina peregrinus, ut tàm insolita, illuminata Symbola Sacro, & prophano idiomate, imò & indico charactere, Empyreum, Gratiam, Gloriam

sub

sub docti velaminis involucris spirare difiteatur? Nemo certè. Nonne mirifica adeò ænigmata eò tendunt, eò collimant, eò demùm, quod moliuntur, non evincunt? Imaginem nimirum Conceptionis virgineæ adumbrare, delineare, colorare, perficere, demonstrare? Virginem profectò creatam in Cælo immensà divitem Gratià, ineffabili perfusam Glorià adumbrant, delineant, colorant, perficiunt, demonstrant.

Joannes Evangelista (Joannes, famosum gratiæ nomen) oculis aquilinis è sublimi Apocalypseos speculà ritu vaticinantis suspexit signum magnum, quod apparuit in Cælo. In altissimo Cælo, in Empyreo, extemplo clamant Scripturarij, eminuit planè Mulier amicta Sole, Luna sub pedibus ejus, & in Capite ejus corona Stellarum. Joannes Damascenus signum ipsum, quod Evangelista litterarum monumentis consignaverat: coram Sanctorum Gravissimorum PP. Senatu, scholastica lance pendit, trutinat, librat, ponderat. Naturam idcircò tremulam, subsistentem, atque præ reverentia expectantem fructum Gratiæ luculenter definit. Neque enim in alium erumpit Gratia fructum, quàm in gloriam, neq̃ alium agnoscit gloria florem præter Gratiam. Fortunatissimo tandem sæculo, fortunatiore terra, ipsa, ipsa Virgo ultimam lineam duxit, dùm in pallio alterius Joannis, proprijs Dei Genitrix, quibus Omnipotentem Creatorem infantilibus obvolverat pannis, manibus totam hanc Cælicam scenam mirificè depinxit in floreo augustæ Conceptionis Simulacro: per tempus illud, quo Ecclesia mysterium suavissimum ritè celebrabat, primordiale harmoniosæ creationis momentum picta, & pictrix expressit, deditque, ut Joannes Jacobus gloriosæ adeò Marianæ transfigurationis simplex, integerrimus testis intaminatum Palladium in occidua plaga toti terrarum Orbi, velut in amplissimo Naturæ, Gratiæ, & Gloriæ theatro parthenico constructo Fano spectandum proponeret.

Ita apertissimo Dei consilio comparatum splenduit, ut parvus fons, qui crevit in fluvium, in Lunam, Solemque tandem apparuerit conversus. Joannes enim Evangelista vidit

dit, quod factum fuit ab initio. & ante sæcula, Imaginem futuræ veritatis in idæa æterni intellectus ab æterno, & in æternum amantis: adveniente que temporis plenitudine concepta fuit Immaculata Regina exemplari æterno in uno conformata momento. Joannes Damascenus modum, tempus, mensuram, harmoniam, ingenium è Cathedra docuit Sapientes idcircò tantùm, & intellectum habentes. Postremò Joannes Didacus rudis, barbarus, neophytus, inter abjectissimam Indorum plebem mediastinus, Sapientibus, & Insipientibus ingeniosissimum Numinis depingentis opus ostendit credendum, explicuit adorandum, reliquit amandum. Ideò à Guadalupea pictura tartareus exulat Draco, quem victricibus contritum plantis, triumphali solemni momento in sempiternum deturbandum sceleri terribilis fecit ista Mulier Hyerarchiæ Angelicæ præ cunctis Spiritibus amabilis. Simulacrum ergo Floreum Guadalupanum, novus Dei Paradysus, corruptibili riccino, fragiles inter rosas stat perenne Omnipotentiæ, insimul ac Virgineæ Conceptionis monumentum, & pignus veritatis credendæ, venerationis tribuendæ, momenti æternum adorandi, ac amoris in immensas amplitudinis Marianæ succrescentis flammas.

Quare age, Magna Parens, cujus mille titulis clientelam Americanis debitam confisus, & in certissimum tutamen juratus expesco. Totum, quod in hoc opere meum est, quantumcumque est, quod certè minimum est, tuo tibi proprio jure vendicas. Secundissimam mihi confidentiam præstant in venustissimo vultu oculi præ incredibili modestia demissi; quia quæ in altis habitas, humilia respicies. Idcirco ignoscendo ausu offero ad limina primordialis tuæ Sanctitatis marcescentes inter ingenij flosculos (Guadalupeis quam similes tuis, utpotè è solo spinarum tantùm feraci germinantes) intellectualem malè conceptum Fœtum, ut vel illum tamquam pia Mater ubere de Cœlo expositum lactes, vel ut abortivum, tamquam victimam ad tuas aras (alterna sorte contentum) patiaris in augusti tui nominis primævam Gratiam illicò præfocandam.

APPRO:

APPROBATIO

D. D. JOANNIS JOSEPHI DE EGUIARA, & Eguren, Metropolitanæ Ecclesiæ Mexiceæ Canonici Magistralis, Regiæ ac Pontificiæ Universitatis Rectoris, Emeritique in ea Primariæ Sacræ Theologiæ Cathedræ Antecessoris, Illustrissimi Domini D. EMMANUELIS RUBIJ Theologi Cameræ, atque Archiepiscopatus Examinatoris Synodalis, Sanctæ Inquisitionis Censoris ex munere, Cappuccinarum Virginum Capellani.

JUbente Excmo. D. D. Joanne Fräcisco Guemez de Horcasitas, Novæ hujus Hispaniæ Pro-Rege, Gubernatore, & Duce Gen. meritissimo, Regalis Mexicanæ Cancellariæ Præside Vigilantissimo, &c. Librum, non absq́ eximia animi voluptate, perlegi, cui titulus: *Opusculum Theophilosophicum de Principatu, seu Antelatione Marianæ Gratiæ illud S. Joannis Damasceni Oratione prima de Nativitate Beatissimæ Virginis MARIÆ Circa principium explanans effatum: Etenim natura gratiæ cedit, &c.* A. R. admodum P. FRANCISCO XAVERIO LAZCANO, Societatis JESU, Universitatis nostræ Mexiceæ Doctore Theologo, Antecessoreque Eximij Doctoris Cathedræ, ac Sanctæ Inquisitionis Officij Censore dignissimo, diligentissimè elucubratum. Et sanè ubi Marianam Conceptionem Purissimam philosophicè juxtà ac theologicè traditam, novis, eisdemque pulcherrimis definitam video cogitationibus, quæ cum priscis Scripturarum, Patrumque effatis amicè cohærent, tum etiam in primis abstrusæ S. Joannis Damasceni sententiæ lucem meridiana clariorem affundunt, sensumque verborum & mentis Sanctissimi ac Sapientissimi Ecclesiæ Magistri, de Beatissima Dei-parente optimè meriti, tradunt enucleatissimè: ubi inquam hæc video, & animo iterum atque iterum reputo, nullus dubito, quin Opusculi Athor amænissimi videatur mihi: *Scriba doctus in Regno Cœlorum, qui profert de thesauro suo nova, & vetera.* Matth. 13.52. Porrò veteribus Virgineæ immunitatis fundamentis jam pridem solidissimè jactis, quæ explorata supponit omnia, extraque disputationis aleam posita cernuus veretur, nova à gravissimis deinceps Theologis hactenùs cogitata recensens, ac laudans, novissimum adjicit, propriumque systhema, tam ipsum solidè dispositum, concinnatumque ingeniosissimè, ut nihil eo antiquius dixerim, nil recentius. Si enim rem à capite ad calcem universam inspicio, puram putam S. Joannis Da-

Damasceni doctrinam legere, & ceu ipsum præstantissimum Ecclesiæ Doctorem suam conceptis verbis mentem aperire, mihi facilè credo. Qua sane quid in puncto Marianæ Conceptionis antiquius? Si verò Opus ipsum rursus considero, ut in eo aliorum Patrum testimonia ad institutum rara cernimi; ut celebriores Theologorum sententias pro tuenda, explanandaque præservatione immaculatæ Matris in Nostri propositum omnes opportuné traductas intuear; ut totius ordinem thematis, ac mirabilem partium inter se acoluthiam observo; quid, inquam, in Mariana Theologia recentius? Scilicet, quam *Civitatem Sanctam Jerusalem novam descendentem de Cœlo à Deo*, Author noster Apocalypticum Vatem secutus jure merito appellat MARIAM, cujus creatam in tempore animam, unàque junctam corpori tunc genito ostendit; Mundum ego dixerim novum, Patres illos imitatus atque Doctores, simili qui titulo inculpatissimam Dei-parentem non injuria colunt, atque salutant.

Apocalyp. 21. 2.

Mundus speciosior ac dignior, quàm totus Mundus à Chrysosthomo nuncupatur MARIA: *Mundus specialissimus altissimi Dei* dicitur à Bernardo: *Mundus magnus in parvo* audit apud Andræam Cretensem. Et ut alios interim Patres non absimiliter Virginem appellantes, omittam, Damascenum ipsum, cujus in præsentiarum mens Helena est, ut dicitur, totiusque Voluminis cardo, libentiùs adduco, qui cùm *Mundum magnificum*, tum etiam *Mundum Mundo mirabiliorem* Dei-parentem scripsit. Perinde quasi novum digito signaverit Mundum, quo in uno mirabilia magnitudoque ita decertant, ut & magnitudine ad stuporem usque mirabilis, & mirabilibus ad portentum magnus appareat. Tam enim Americæ tractus protrahuntur & latissimè patent, ipsa ut reliquas in unum conjunctas Orbis partes facile exæquet: totque ubique monstris ac portentis scatet, ut passim mirabilia ob oculos ponat, quæ totam retrò antiquitatem veteremque Mundum latuerant. Quod si hæc in causa fuere, uti Novus Orbis audierit, collatitia Doctissimorum Scriptorum suffragatione, nec Hispanis duntaxat, sed Exteris etiam hominibus consentientibus; quid non existimem Reginam Cœlestium *Mundum magnificum*, *Mundum Mundo mirabiliorem* propterea dictam, quòd Novi adinstar Orbis ab summo rerum omnium Opifice condita fuerit? Jam verò, cùm is, qui Novus Mundus dicitur, veteri coævus sit, nec tardiùs è manibus supremi Conditoris, quàm ille prodierit, antiquus insimùl recensque sit, ut & novitate mirandus, & verendus antiquitate, necesse est.

S. Chrysosth. Hom. in Math.

S. Bern. Serm. B. M. cujus initium *Ave Maria*.

Andr. Cretens. Orat. 1. de Dormit. Deipar.

Damascen. Oration. 4. de Nativ. B. V.

Hùc Joannes Audænus ingenioso collimavit epigrammate canens:

Oweon. Epigramm. lib. 1. 21.

Nil ait esse novum Salomon sub Sole; Columbus
In veteri Mundum reperit Orbe novum.

Et ecce typum Marianæ Conceptionis, prout in hoc describitur Libro, pulcherrimum. Siquidem negotium jam inde à temporibus

bus

bus Damaſceni diſpoſitum, conditumque appriniè, in lucem, qua donatur nunc, fulgentiſsimam prodit in præſentiarum. Orbem diu xeriùs retroactis ſæculis Scriptores latentem, quaſi immenſis Oceani fluctibus, hoc eſt, mille difficultatibus involutum, quem fauſtè ac feliciter Author noſter detexerit, Columbum non ſequutus modò; ſed longiſsimè etiam prætergreſſus, quòd pretioſiorem multò, nobilioremque Mundum aperiat, eraſoque lemmate, *Non plus ultra*, quod in hoc puncto, veluti Herculeis definito columnis, videbatur ſcriptum, viam pandat ampliſsimam, qua gradientes Mariani cultores, inæſtimabiles ſibi hauriant divitias, Scholaſque gazis pretioſiſſimis locupletent. Hercle, ſi ut Eccleſiaſtæ teſtimonio reſcimus; Deus *Mundum tradidit diſputationi eorum* (hominum ſcilicet) Novus planè Mundus in hocce Libro Theoſophiæ Profeſſorum diſquiſitionibus traditus apparebit, qui cùm de principe Marianæ Conceptionis negotio nil ulteriùs diſputare poſsint aut velint, amico cunctis & pijſsimo fœdere conjuratis; de adjunctis nihilo tamen minùs, modiſque, quibus Deus Optimus Maximus intendere illud voluerit, ac executioni mandare, jucundè pariter ac ingenioſiſsimè velitant, & Scholaſtico more congrediuntur ac digladiantur. Quæ cùm ita habeant omnia, egregij hujuſce Operis Scriptorem egregijs pariter laudibus cumulare par erat; & verò etiam ego panegyrim illi texere utcunque tentarem, ceu induſtrio in Scholaſtico Orbe Columbo, qui novum hunc tandem aliquando detexerit, ni ejuſdem me præpediret modeſtia, altumque de ipſo ſilentium indiceret. Faciam tamen nunquam, Authorem quàmvis invitus taceam, Operis ut commendationi, exili licèt multumque infra meritum jacenti, penitùs ſuperſedeam. Certè Phyſicam cum Theologia, Naturam cum Gratia, Scientiam cum Religione amicè peræquè ſocians ac ingenioſè, eximiam adverſus Puriſsimam Deiparentem ubique pietatem ſpirat: ſolidà, exquiſità, pulcherrimà abundat doctrinà: penitiores ac cultiores ex intima Philoſophia ſententias offert: graviſsimis Scripturarum teſtimonijs, Patrum ſuffragijs, Theologorum ſententijs, cunctiſque ſacris ſupellectilibus ſplendeſcit, fulget, ornatur. Verbo omnia complector: Mundum in hocce Opere novum miror; quo de, verba mutuatus ab Antonio Poſſevino, viro Doctiſſimo, de America ſcribente, libentiſsimè dicam: *Emerſus penè ex Oceano ætate noſtra Novus Orbis non gemmarum modò atque auri, verùm divitiarum Sapientiæ Dei copiam exeruit.* Sua enim ſponte, ut reor, Lectores Theophiloſophici huius Libri inveniſſe in eo fatebuntur, & Philoſophiæ gemmas ordinatim ſparſas, & argenti copiam atque auri Theologiæ, cui illæ apprimè innectuntur ac maritantur; ac tandem Pientiſsimæ gratulabuntur ac Puriſsimæ Matri; cujus in Conceptione Deus cœleſtes penè theſauros exhauſit, Sapientiæ ſuæ, Amoris, Potentiæ exemplar ob oculos ponens, cui tunc quidem Angeli executionis teſtes applauderent, deinceps homines etiam, & terræ incolas & Cœli, cernui gratularentur. Hæc igitur

Eccleſ. 3. 11.

Pat. Antonius Poſſevin. T. 1. Bibliot. L. 1. cap. 7.

cùm Liber contineat, è veræ Pietatis, Fidei, ac Sapientiæ penu deprompta; ne minimum quidem toto in eo apicem offendi, quod ejusdem Editionem moretur; plurima enim verò queis dignissimus sit, ut typis excudatur. Sic sentio, Salvo semper meliori judicio. Mexici, duodecima Januarij anno M. DCC. L.

Dr. Joannes Josephus de Eguiara & Eguren.

D. D.

D. D. EMMANUELIS ANTONII ROXO, Rio, & Vieyra. Collegæ ex merito Mexici in Regali, & Antiquiore Divi Ildefonsi Collegio, Salmanticæ in Academia Doctoris, Cathedrarum S. Canonum Competitoris, & Vespertinæ Legum ad tempus suffecti, Regiorum Conciliorum Patroni, Clarissimarum Divi Francisci, Virginisque â redimendis Captivis de Mercede nuncupatæ Familiarum Judicis Servatoris, Sanctæ Inquisitionis Ordinarij, & Consultoris, hujusque Metropolitanæ Canonici Approbatio.

Dñe. Pro-Archiepiscope.

NESCIO, quo pacto gratias habeam pro dignitate tibi, qui mihi id genus Opus commiseris evolvendum, ex cujus perattenta lectione haud minùs delectamenti hauserim, quàm doctrinæ. Invitat enim pariter, & oblectat tractatus, quem de Primatu Marianæ Gratiæ, pietate, eruditioneque solita in lucem edendum perpolijt P. Franciscus Xaverius Lazcano, Societatis JESV non degener Filius, notissimus in hac Academia pro Eximio Doctore Theologus, & in Maximo SS. Petri, & Pauli Collegio Sacrorum Bibliorum Interpres; cujus nomen expressum in fronte Libri laudes ipsi conciliat, quas me, præter eiusdem moderationem, sæpius per amicitiam declaratum laudationum suarum fastidium silentio coegit obvolvere. At verò, ubi tui ipsius in temet præconium extat, supervacaneum est aliunde petere elogia: itaque suæ parco consultò incommodare modestiæ. Tuis tamen obtemperaturus præceptis, Opus non tàm examinandi, quàm addiscendi gratià, intento animo volutavi. Neq̃ aliud mihi dolendum, aut adnotandum existimo, nisi pretiosissimi eam esse Voluminis brevitatem, quæ longiorem, & votis omnibus expetitam voluptatem Lectori vix ipsam degustare incipienti præripiat. Nimirum Dei-Parentis Excellentias adamussim congestas principalem sibi scopum præfixit, præfixumque tum nitidè, cùm strictim consequutus est Author. Ecquis autem tàm sit ferreus, quin lætitià utique maximà super tantæ Reginæ laudibus perfundatur? Ecquis, cujus reverentià, observantià, desiderioq̃ breviora scripta etiam latissima non existant? Profectò innumeras inter dotes, quibus lectissima illa, & Divina Fœmina cohonestatur, ea nunquam non mihi amplissima visa est, Purissimæ verò Dominæ semper sum cum primis jucundiorem arbitra-

ſuſ, quâ ipſius longè glorioſiſſimus conceptus omnis omnino expers maculæ conſtituitur. Quarè cùm hujuſce Operis Inventor id agat, id velis, remiſque contendat, id demum, meâ ſcientiâ, perficiat, ut ejus Animæ Sacratiſsimæ extra Corpus propugnata in Empyreo Cœlo creatione, modum planè naturaliorem, quo immunitas iſthæc evenire potuit, ſtatuat, næ ego incredibilis eſſem duritiæ, ſtuporiſque ſingularis, niſi Opus multò gratiſsimum, & omni digniſsimum celebritate ſentirem. Et quidem ut cogitatum pulchrè novum liberè fateor, ſic graviter nego, uſque eò poſt homines natos eſſe inauditum, quod ulla ex parte diſcrepet ab SS. Patribus omnium facilè Præceptoribus, ac Magiſtris. Cùm enim Sapientiſsimi hi, Sanctiſsimique Viri nihil non glorioſum Virgini pertractarint, ille unus reliquus fuit Scriptori noſtro labor (alioquì, neſcio, laude dignior, an negotioſior?) ut ſuam ex ipſorum PP. mentibus ſentētiam erueret. In quibus Damaſcenus, is qui doctrinam Authori mirabilem ſuppeditavit, eamdem non tam videtur obſcuris ſignificare verbis, quàm aperto cōſilio funditùs expoſuiſſe. Quod liquidò deprehendet, quiſquis attentiùs oculos ad Librum lectitandum appellat. Atque hinc jam ſatis aperuiſſe videor, quid ſit, quamobrem tantâ fuiſſem lætitiâ affectus, tantâque voluptate, cùm legebam; Opus videlicet eò prorſus tendere, ut Virginis intemeratum conceptum, cui multis nominibus memet obſtrictum profiteor, in ſplendoribus Sanctorum naturaliori, captuque faciliore modo, & ratione componat.


Vide Rup. in Cant. Virg. c. 2. apud Corn. in 24. Eccleſi. aſt. verſ. 14. prop. fin. Item Silveyr. in Math. qui profert de theſau. nova, &c. n. 146. Doctus Scriba ac Magiſter profert vetera, ſcilice, documēta novis tamen expoſitionibus, ac declarationibus, &c. Adducit Rup. appoſitè: & Senec. Epiſt. 33. Quid ergo? non ibo per priorum veſtigia? Ego verò utar via veteri; ſed ſi propiorē planioremq̄ invenero, hàc muniam, &c. Illum conſule in cant. Moſ. lib. 3. ſect. 8. art. 16. n. 143.

Accedit ad oblectandum doctrina, quâ hoc altiùs imbutus ſum, quò jucundiùs paginas delibavi. Fieri quandoque ſolet, ut hæc in mente fuſiores agant radices, quæ dulcioribus lymphis voluptatem interfluunt. Ecqui fieret, ut multum ibi non doceret, ubi tanta ineſt Eximij Doctoris, Eruditiſsimi Cornelij, aliorumque Peritiſsimorum hominum ſapientia, quorum unuſquiſque decus, & ornamentum Sacratiſsimæ JESV Societatis recenſeri valet? Neque verò ad unum adnumerari queunt, qui numero ſunt propè infiniti. Ac ſiquis novum iſtius documenti fulcimentum deſideret, ad præſtantiſsimum Barradium accurrat, ne tempus non ſuperſit ad verſandum Garaum, Mendozam, Nuerum, cæteroſque, quos, cùm Bibliothecis plurimis complendis ſufficerent, percenſere non licet numerando. Et quoniam quidquid mihi eſt doctrinæ (ſi quid tamen eſt) quidquid ingenij, quidquid bonarum artium, id omne quantum, quantum eſt, à me in primis illorum Scholæ repetere propè ſuo jure debent; nihil mirum cuique videbitur, ſi miſsis alijs, quorum nomina honoris, & authoritatis causâ in hoc tractatu continentur, unos ego Jeſuitas, dum de doctrina egerim, memorarim. Quocirca finem faciam, ſi præſens Opus non ſolùm probatum mihi, nec ſolùm commendatum omnibus declararim, verùmetiam abs te, Domine, vehementer oraverim, ut communi utilitati, & profectui cum maxima erga Dei Genitricem pietate conjuncto, typis permittatur. Nihil

hil quicquam in eo est minus tutum; nihil, quod non quadret cum SS. PP. mente, doctrina, testimonijs. Salvo meliori, &c. Data Domi postridie Kalendas Februar. Anno à Christo nato M. DCC. L.

Tibi, tuisque addictissimus præceptis

Dr. Emmanuel Antonius Roxo, Rio, & Vieyra.



EXCELLENTISSIMUS D. D. Joannes Franciscus Guemez, & Horcasitas, Pro-Dux Generalis Regiorum Exercituum, Novæ Hispaniæ Pro-Rex, &c. concessit, ut typis excudatur hoc Opusculum Theophilosophicum, visâ, quæ præcedit, Cẽsurâ D. D. Joannis Josephi de Eguiara & Eguren. Die 13. Januarij, Anno 1750.

D. D. Franciscus Xaverius Gomez de Cervantes, Primarius, & Emeritus Sacrorum Canonum in Universitate Mexicana Antecessor, hujus Archiepiscop. Vicarius Generalis, &c. Opusculum jam dictum, in lucem edi, concessit, visâ præcedente D. D. Emmanuelis Roxo Censurà. Die 14. Martij, Anno 1750.

Li-

Licentia Religionis.

JOANNES Antonius de Oviedo, Societatis JESU, Præpositus Domus Professæ Mexicanæ, & hujus Provinciæ Novæ Hispaniæ Vice-Provincialis facultate mihi à R. P. N. Francisco Retz, totius Societatis Præposito Generali communicatà, concedo, ut Opusculum Theophilosophicum *De Principatu, seu Antelatione Marianæ Gratiæ* à Patre Francisco Xaverio Lazcano, ejusdem Societ. Theologo, Theologiæque, & Sacrarum Litterarum Professore compositum typis mandetur, cùm tres ejusdem Societatis Sacerdotes, & Theologiæ Professores, quibus illud examinandum commisi, recognoverint, & in lucem edi probaverint, si ita ijs, ad quos pertinet, videtur. In quorum fidem has litteras manu propria subscriptas, & Sigillo nostræ Societatis munitas dedi. Mexici die decima septima Decembris Anno Dñi millesimo septingentesimo quadragesimo nono.

Joannes Antonius de Oviedo.

Antonius de Paredes
Pro Secret.

THEO-

Theologo Mariano.

PROCUL sit à me, procul sit prophana credulitas, ut amens existimem, in Rempublicam litterariam me aliquid speciosum invehere in proprij ingenij (quod sentio, quàm sit exiguum) vel triumphum, vel encomium. Planè verecundiâ deterritus in gravissimo Theologorum Senatu penitùs elinguis conticescerem; omnia quippe silentium indicunt: Virginis ineffabilis Majestas, quam nec capere, dum cogitamus, nec capi, dum explicamus, posse, apud omnes solenne est: Altum Immaculatæ Conceptionis Mysterium, de quo ni summùm disseras, non homines, non Deus, non concessere Columnæ: Gravissimus Theologorum Chorus, qui plenis Voluminibus adèo feliciter charismata Immaculatæ Reginæ, nervosè, ac delicatissimè usque ad delicias, pompam, & miraculum illustravit, ut ampliùs progredi videatur nefas, nè Scrutator Majestatis opprimatur à gloria. Quos inter dulcioris Minervæ Proceres non ultimus sit Pater Dr. Franciscus Suarius; cujus doctrinæ enucleandæ Provinciam per aliquot annos in Regali ac Pontificia Academia Mexicea impar tam Eximio Magistro, ægrè sustinui: sed amor modum nescit, & tantum inest ingenio amentis, quantum amantis. Quamobrem hoc Opusculum, (cujus theorema princeps in publico aliquando meæ Academiæ Theatro examinandum comparuit) discipulus Theologis, meis sine controversia Magistris offero corrigendum, ut ipsi formam informibus, obscuris claritatem, claris nitorem, nitentibus, siqua niteant, aculeatum splendorem, tepentibus flammas, marcescentibus decorem, languidis robur, pondus, authoritatem, falsisque expunctis veritatis fulcimentum, dictis patienter impertiantur. Ideircò ultrò, & consultò primorum Doctorum verba multis in locis fidus exarator transcribo, ut me ab illis discere, eorum facibus illuminari, alta ipsorum premere vestigia, & nè latum quidem unguem ab ipsorum sensu discedere, litterarijs comitijs compertum appareat. Hoc tamen, priùsquàm opinandi curriculum ingrediar, ipsis persuasum esse, velim: hac in causa pietatis potiùs, quàm ingenij partes à me esse susceptas, Itaque si aut humiliùs, aut pres-

siùs

ſiùs, aut ſuccinctiùs egero, quàm vel materiæ gravitas, vel Myſterij dignitas, vel Perſonæ amplitudo poſtulat; peto ab ipſis, ut tãtùm labori meo indulgentes concedant, quantùm infantili intellectui gygantea molienti, & vehementi amori præ infiniti argumenti dulcedine crapulato connivendum exiſtimaverint. Rudis index viam Peritioribus oſtendam. Verùmtamen, ſi quis è Sapientibus Marianis rigido ſupercilio auſibus iſtis non annuat, & ſi aliter ſuperis viſum ſit, Superioribus nimitùm meis, vel Eccleſiaſticis, vel Regularibus, effataq̃ mea indigna cedro, nec lævi ſervãda cupreſſo altè judicaverint; ego quoque ſempiterna oblivione cernuus, ac provolutus cenſeo ſepelienda.



TRA-



Anima Virginis primò creata.

Corpus Virginis ultimò ...

Vidi Civitatem sanctam Ierusalem novam descendentem de Cœlo a Deo. Apoc. c. 21.


Natura gratiæ fœtum antevertere minime ausa est. verum tantisper expectavit, donec Gratia fructum suum ...

Orat. 1. de Nativit.

S.n Juan Evangelista.

S.n Juan Damasce[no]

Troncoso. sc. Mex. anno 1749.



TRACTATUS
De Principatu, seu antelatione gratiæ Immaculatæ Virginis Dei-Genitricis MARIÆ Dominæ nostræ.

DISPUTATIO PRIMA
De philosophica Immaculatæ Virginis Conceptione.

SECTIO I.
De Creatione animæ rationalis.

§. I.
Quid sit creatio?

1. SUppono 1. cum Angelico D. Thoma 1. p. quæst. 45. art. 1. efficientiam omnis rei ab alio productæ dividi in eductionem, & creationem: unde nomen creationis significat effectionem alicujus rei ex nihilo, scilicet, ut exponit Anselmus in monologio, cap. 8. idem est *ly* ex nihilo, ac, quod ex nullo subjecto: quare non intelligitur ex nihilo rei, sed ex nihilo subjecti; nempe creationem excludere omnem concursum causæ materialis, & dependentiam rei, quæ creatur, ab aliquo subjecto; atque ita distinguitur creatio ab eductione, quæ est de potentia subjecti,

jecti. Et quamvis aliquibus videatur, quod Aristoteles, Plato, & alij graves Philosophi non cognoverint naturam creationis, quia tamquam primum principium, ac per se notum haberent, ex nihilo nihil fieri, ut constat ex Aristotele in primo physicorum; & licet multorum Theologorum opinio fuerit, non posse demonstrari, rem aliquam esse factam, vel fieri posse per creationem: ast posse demonstrari ratione naturali, utpote conformior scripturis, est communior sententia Theologorum: sic Divus Thomas in 2. dist. 1. q. 1. art. 1. idemque supponit in 1. p. q. 44. art. 1. & q. 45. art. 2. Alensis 4. p. q. 6. art. 6. Scotus in 1. dist. 8. q. 1. Enricus quodlibeto 8. q. 6. & Eximius 1. metaphysicæ sec. 1. disp. 20. cum quibus.

2. Dico primo: possibilitas creationis ostendi potest lumine naturali. Probatur: Supposito demonstrato à posteriori Ente supremo, vel attributo Omnipotentiæ, demonstratur à priori possibilitas creationis, nulla enim ostenditur repugnantia in actione, quæ sit effectio rei ex nihilo subjecti: ergo nec in potentia supremi Entis ad tali effectione operandum. Confirmatur: sicut fit aliquid in actu, quod prius erat possibile, per potentiam activam, & passivam simul; cur non poterit etiam fieri in actu aliquid, quod sit possibile, per solam potentiam agentis eminentiorem, magisque efficacem? Declaratur: potest aliquid incipere esse actu aliquid, quod antea erat possibile, per effectionem alterius: ergo quod ex se nihil erat, potest incipere esse per effectionem alterius.

3. Probatur secundo: aliquid creari, seu fieri ex nihilo est, ut tota res, quæ per se primo fit, sit adæquatus terminus actionis, & vocatur *ut quod*, omnino, & secundum suam entitatem fiat, nulla ejus parte, aut re præsupposita; sed in hoc nulla datur repugnantia, nec ex parte causæ, nec ex parte effectus, nec ex parte effectionis: ergo non repugnat. Probatur prima pars. In primo Ente est formaliter omnis perfectio simpliciter simplex, ut Theologi demonstrant, atqui efficere rem ex nihilo, ex proprio conceptu dicit perfectionē sine imperfectione, ita ut melius sit ipsa, quam non ipsa: ergo non repugnat creatio ex parte Omnipotentiæ. Probatur secunda pars: nulla apparet repugnantia in eo, quod res, quæ tantum erat inchoata, secundum unam partem, perficiatur per adjectionem alterius partis: ergo nulla est implicantia in eo, quod res tota, quæ non erat, secundum se totam accipiat esse: ergo solum arguit majorem vim in agente, in quo, cum modus agendi sit proportionatus modo essendi, cum modus essendi primi Entis sit cum omni independentia, modus agendi proprius ejus erit independens ab omni causa etiam materiali.

4. Probatur tertia pars: nam vel hæc effectio sit indistincta à Volitione Divina, si in Deo potentia

tia executiva non sit virtualiter, vel ratione distincta ab intellectu, & Voluntate, vel sit actio transiens recepta in ipso ente creato, vel identificata cum ipso termino, non invenitur repugnare: ergo non repugnat creatio ex parte effectionis. Declaratur: saltem uno ex his modis non repugnat effectio, quæ sit creatio, præsertim cum habeat quisque modus pro se Illustrissimos Patronos: nam primus defenditur à Divo Thoma 1. p. q. 45. art. 3. secundus est Aureoli citati à Capreolo in secundum dist. 1. q. 2. Ochami in 1. disp. 43. q. 1. & Argen in secundum dist. 19. q. 1. art. 1. Tertius modus tribuitur Nominalibus, & Gregorio in secundum dist. 1. q. 4. & 5. igitur creatio ex parte effectionis non ostenditur repugnare.

5. Dico secundo, & prima stabilitur assertio: Demonstratur, dari defacto creationem: Probatur: datur aliquod ens, quod non potest fieri, nisi per creationem: ergo creatio defacto datur. Demonstratur antecedens: materia prima non fuit facta ex alia materia; vel si facta fuit ex alia, hæc non fuit ex alia, sed ex nihilo, ut apertissimum est; sed fieri ex nihilo est creari: ergo defacto datur creatio. Neque dicas: materiam non fuisse factam, sed coæternam Deo, qui error fuit Sthoicorum, ut contra ipsos & Pythagoreos, & Platonem, & Tris-Megistum refert Tertulianus lib. 1. contra Hermogenem cap. 1. & 8. & lib. contra Valentin cap. 15. & 16. & significat Irineus lib. 2. cap. 19. & est contra rationem: quia si non habet esse à Deo, habet esse ex se, quod incredibile est in ente imperfectissimo, & infimo substantiarum omnium. Quare PP. & DD. Ecclesiæ absolute, & sine ullo addito docent, ac demonstrant, materiam esse creatam à Deo: ut videre licet in Tertuliano, Ireneo, Lactancio, Eusebio, Epiphanio, & Augustino lib. 1. Genesis ad litteram cap. 4. & 12. Ambrosio, & Athanasio locis citatis ab Eximio 1. metaph disp. 20. sect. 1. n 20.

6. Nec refert: an Aristoteles cognoverit creationem. De quo multa disputavit Lugdovinus lib. 7. Periem. Philosoph. c. 3. & seq. & missis placitis aliorum Philosophorum, qui si aliquando dixerunt, mundum hunc creatum fuisse ab aliquo primo Authore, non loquuti sunt de vera creatione, sed de formatione ex præjacente materia, quam chaos appellaverunt. Aristotelem vero, multi censent, non agnovisse creationem, ut Gregorius in 2. dist. 1. q. 1. & Enricus quodlibeto 8. & alij. Qui modus discurrendi habet non parva indicia in principijs Aristotelicis, Primo: quia ubique admittit, & supponit principium illud, *ex nihilo nihil fit*. Secundo: quia actiones omnes definit per ordinem ad potentiam passivam, & omnem actionem, sensit, habere conjunctam passionem, & motum, vel mutationem, ut constat ex tertio physicorum, à principio, &

videtur, non agnovisse alium efficiendi modum.

7. Quod videtur confirmari: quia res incorruptibiles posuit æternas, censens, esse per se necessarias, & ideo secundo metaphysicorum cap. 1. in plurali ait *principia sempiternorum non habere causas.* Sed hæc non probant, Aristotelem non cognovisse creationem, & hæc opinio est verisimilior, cum ita censeant Averroes 2. metaphysicæ, comentario 4. & 12. metaphysicæ. Comentario 44. & lib. de Substantia Orbis cap. 2. Div. Thomas 1. p. q. 44. & 2. contra Gentes cap. 15. q. 3. de potentia, art. 6. & 8. Physicorum sect. 2. & Scotus in quodlibeto q. 7. & in 2. dist. 1. q. 3. Nam illud principium, *ex nihilo nihil fit* satis intelligitur in linea passiva, non de linea activa, præsertim de Causa prima, & virtute infinita. Et nono metaphysicorum cap. 1. satis insinuat agnovisse se potentiam activam, quæ non indiget motu, vel mutatione ad agendum.

8. Per illud tamen plurale *principia sempiternorum* solum Deum intelligere videtur Aristoteles, vel propter eminentiam ejus, vel propter plures causandi rationes. Præterea in primo de Cœlo, cap. 9. tex. 100. supponit quandam naturam immortalem ac Divinam, *unde cæteris,* inquit, *alijs exactius, alijs offuscatius ipsum esse vivereque dependet.* Et secundo generat. c. 1. tex. 59. asserit, *non omnibus convenire, ut semper sint, quoniam quædam longe ab ipso principio adjunt. Idcirco* (ait) *Deus modo deficienti consulens, universum complevit, cum generationem instituisset continuam.* Lib. etiam 8. Physicorum, & 12. metaphysicorum concludit, esse unum *primum ens, & Principem omnium, non esset autem Princeps, nisi esset hominis principium:* Unde 12. metaphysicæ tex. 38. ait, *Cœlum, & naturam pendere à Deo.*

9. Clarissime etiam docet eisdem locis, dari unum finem omnium, ex quo plane fit, dari unum efficiens, nec potest dari una causa efficiens omnium, nisi interveniente creatione. Præterea secundo metaphysicæ cap. 2. probat illud principium, per quod maxime in cognitionem primæ causæ devenimus, scilicet, *non posse dari processum in infinitum in causis efficientibus.* Denique in lib. de mundo ad Alexandrum illam apertissime docere videtur: *quasi flagitium,* inquit *esse in disputatione rerum mundi præterire id, quod summum in mundo habetur; itaque vetus fama est, & quidem hæreditaria mortalium omnium, universa Deo, & per Deum nobis esse constituta; nec vero una natura per se sufficit orbata salute, quam ille ferat:* liquidum igitur manet, possibilem esse creationem, de facto dari in materia, & elementis, illamque agnovisse Philosophum.



§. II.

De creatione animæ rationalis.

10. SI datur creatio in rebus, ut dari probatum est; nulli substantiæ aptius convenire debet, quam animæ rationali; quæ quidem est substantia spiritualis, & principium nobiliorum operationum hominis; sed merè substantia creata, non particula substantiæ Divinæ, ut quidam Ethnici, vel hæretici apud Conimbricenses in 2. de anima, cap. 1. q. 1. art. 6. somniarunt. Stultitia ista damnata est à Cōcilio Bracarensi 1. & à Leone 1. Epist. 91. cap. 5. Quam obrem.

11. Sit conclusio: anima rationalis à solo Deo creatur. Est contra Sennertum hypom. physic. hypom. 4. cap. 1 qui asserebat, animam rationalem per traducem produci, hoc est, fieri à Parentibus per propagationem seminalem modo simili ei, quo candela absque sui luminis jactura candelam accendit, & quemadmodum corpus generat corpus, ita animam generare animam. Probatur conclusio, & impugnatur Sennertus: si fieret per traducem anima rationalis, vel fieret ex nihilo, vel ex aliqua materia: non primum: quia sic crearetur à Parentibus; non secundum: quia anima est spiritualis, ac proinde independens à corpore, entitative indivisibilis, & immortalis: ergo anima non fit ex aliqua materia, sed ex nihilo. Probatur prima pars ex operationibus intellectus humani, cujus actus corporalia omnia supervolant, & ad spiritualē ordinem manifeste pertinent; attingunt enim objecta positive spiritualia, nempe, Deum, & Angelos, prima principia penetrant, apta rebus corporeis, & incorporeis, ab his omnibus abstrahunt rationes communes, & ipsam quoque generalissimam rationem entis, nec solam Angelicam, sed Divinam etiam mentem æmulantur in amplitudine sphera objectivæ, seu ratione *sub qua*.

12. Unde sic argumentor: actus cognoscendi specificantur ab objecto: ergo debent habere aliquam proportionem ordinis cum objecto; sed objectum est spirituale: ergo actus est spiritualis: ergo etiam potentia: cum nulla potentia naturaliter eliciat actum superioris ordinis: nam modus operandi sequitur modum essendi: ergo substantia animæ, quæ vel cum potentia intellectiva identificatur, vel eam radicat, ut proprietatem sui, absdubio spiritualis entitative est: cum nulla substantia corporea proprietatem radicet spiritualem. Probatur secundo ex libertate, ac dominio voluntatis humanæ: hæc enim perfectio solum in substantijs clarè spiritualibus, ut est Deus, & Angelus, invenitur: ergo si relucet in anima rationali, anima rationalis spiritualis est. Urgetur: anima ratione libertatis corpori dominatur, ejus inclinationi resistit, & mortem contemnit; ergo est altio-

ris ordinis, & indolis independentis à corpore. Quod jam definitum est à Concilio Lateranensi sub Innocentio III. in Cap. *firmiter* de Summa Trinitate: & in Lateranensi sub Leone X. sessione octava: vide Suares lib. 1. de anima Cap. 1. num. 12.

13. Probatur deinde animæ rationalis indivisibilitas: nam in primis, non constat partibus essentialibus, cum vera sit forma corporis: aliàs anima constaret ex actu, & potentia spirituali, quod dissonum est: imo verius est cum Eximio disp. 13. metaph. sect. 14. num. 14. repugnare materiam spiritualem, quæ scilicet sit pura potentia incorporea: quia illa materia esset substantia spiritualis, ut supponitur, & aliunde non esset, cum non esset intellectiva; perfectio certè prorsus aliena à conceptu puræ potentiæ: substantia quippe intellectiva ratione sui totius, quamvis sit incompleta, & pure spiritualis debēt mutuo converti: ergo anima rationalis est essentialiter indivisibilis. Probatur quoque ejus indivisibilitas integralis: nam quamvis accidentia spiritualia, ut gratia, & habitus virtutum constent gradibus intensionis & Angeli præsentia in spatio divisibili forsan ex partibus integretur, est tamen de ratione spiritus, seu substantiæ spiritualis; quemadmodum corruptibilitas, licet non repugnet accidenti spirituali, repugnat tamen spirituali substantiæ.

14. Confirmatur hoc ipsum: si anima esset integraliter composita, omnes partes illius essent intellectivæ: ergo omnes essent capaces liberi arbitrij possetque una velle, quod nollet altera; sed hoc est inauditum: ergo. Nec dicas: omnes partes gaudere communi libertate, & per sympatiam idem velle, ac nolle: nam sympatia necessitans multos ad volendum non cohæret cum libertate. Si respondeas unam tantum partem esse intellectivam: igitur hæc tantum erit spiritualis; & de ista quæro: an sit integraliter divisibilis? Si asseras, constare particulis intellectivis, & liberis redit superum absurdum. Si neges: ergo negas substantiam spiritualem integraliter divisibilem. Urgetur: Gregorius Neccesariensis lib. de anima, *cum anima* (inquit) *corpore careat, simplex est*: ergo ideo est indivisibilis, quia incorporea; sed si anima est substantialiter incorporea, est independens à materia, subjecto, ac proinde facta, & conservata per actionem creativam: ergo anima defacto creatur. Urgetur amplius: quando abscinditur homini manus, non perit pars illa animæ, nec retrahitur ad informandam materiam alterius partis, nec manet separata; sed aliquid ex his accideret, si anima esset integraliter divisibilis: ergo si nullum concedi potest, debes stare pro indivisibilitate tam substantiali, quam integrali animæ rationalis.

15. Probatur ex ejus creatione animæ immortalitas. Anima est naturaliter incorruptibilis: ergo est naturaliter immortalis, Probatur ante-

tecedens: corruptio vel est dissolutio partium, vel defectus formæ, permanente subjecto substentationis; vel desitio rei natura sua generabilis; sed non potest dari animæ partium dissolutio, cum sit tam substantialiter, quam integraliter indivisibilis, nec defectus formæ, permanente subjecto substentationis, cum non dependeat à subjecto, quod informat, nec demùm desinat esse, quia generabilis, cum anima non generetur: ergo anima est ab agente naturali indestructibilis, cum ejus destructio sit anihilatio, & anihilatio superet omnes vires agentis creati. Objicit tamen Sennertus: Simile generat simile; atqui homo non est similis homini quoad corpus tantum, sed potissimum quoad animam: ergo debet generare animam. Respondeo, hominem generare hominem sibi similem quatenus materiam communicat ad suscipiendam animam dispositam, & unionem partium earumque ordinationem, ac nexum attingit; alias etiam generaret materiam; quod nec ipse Sennertus admittet; nec enim potior ratio assignari posset, cur unam, non vero aliam partem generaret?

16. Argumenta ex Scriptura desumpta facile solvuntur, ut illud Ecclesi. cap. 3. *unus interitus est hominis, & jumentorum, & æqua utriusque conditio: sicut moritur homo, sic & illa moriuntur, similiter spirant omnia, & nihil habet homo jumento amplius.* Ad quod respondet Angelicus Doctor 1. p. q. 75. art. 6. ad 1. loqui Salomonem ex Persona Impiorum, ita ratiocinantium, ut corpori liberius indulgeant. Similiter non est dubitantis, sed referentis dubitationem Impiorum illud Eccles. *quis novit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & si spiritus jumentorum descendat deorsum.* Si objicias Concilium Constantinopolitanum 6. art. 11. approbans sententiã Sophronij docentis, animam non esse immortalem per naturam, sed per gratiam, vocat *per naturam*, id est per essentiam; & *per gratiam*, id est, per liberam voluntatem Dei, qui potest animam tametsi naturaliter immortalem redigere in nihilum. Audiatur Lateranense sub Leone X. sess. 8. dicens: *cum diebus nostris non nulli ausi sint dicere de natura animæ rationalis, quod mortalis sit, & aliqui temerè philosophantes secundùm saltem philosophiam verùm esse asseverent: Sacro approbante Concilio, damnamus, & reprobamus omnes asserentes animam rationalem mortalem esse.*

17. Unde clarissime patet, animam ex suis proprijs nativis prædicatis, & propter prædicatum substantiæ spiritualis intellectivæ, indivisibilis, immortalis, independentis à corpore in operando esse creatam: ita ut sicut dicit Augustinus, solum posse *negare animam, hominem sine anima*; ita solum negaret animam creari, qui non experitur mirificos animæ rationalis actus, miram intelligendi vim, dominantem libertatis amplitudinem, desiderium æternorum, unoq; Deo contentam naturam, contemptum:

plerumque non solum rerum omnium temporalium, sed ipsiusmet vitæ: ergo anima rationalis absdubio sit de facto per actionem creativam à solo Deo profluentem, & dependentem.

§. III.

De creatione Animæ Virginis.

18. NEmo vertit in dubium, animam Beatissimæ Virginis productam fuisse per creationem, & ex manu Omnipotentis immediate profluxisse: nam cum sit ejusdem speciei cum animabus reliquorum hominum, sortiri debet in physicis eandem productionem quæ ex prædicatis spiritus, incorporeitatis, & immortalitatis ipsi ex natura rei competit. Sed cum agitetur inter D. D. an animæ rationales sint defacto æqualis perfectionis entitativæ cum hæc inæqualitas sociabilis sit cum æqualitate specifica? Probabile absdubio est, animas rationales esse inæquales perfectione entitativa, ut communiter Thomistæ, quibus obiter faciet Eximius Doctor tom. 2. in 3. part. Disp. 50. sect. 5.

19. Quæ inæqualitas in perfectione probari potest ratione tradita à Thoma Vincentio Tosca: substantiæ materiales, quæ intra eandem speciem continentur, non sunt omnes æqualiter perfectæ: ergo idem dicendum est de animabus rationalibus. Antecedens patet: constat enim experientia, non omnes homines esse ejusdem indolis, vigoris, &c. Et consequenter non omnes æquali perfectione participant temperamentū illius speciei proprium. Probatur jam consequentia: nam ideo substantiæ materiales intra eandem speciem contentæ non sunt æqualiter perfectæ, quia ejusmodi inæqualitas valdè conducit ad pulchritudinem speciei, quemadmodum multiplicitas specierum valdê confert ad pulchritudinem generis; sed hæc eadem ratio militat in animabus rationalibus: ergo recte convincitur à pari, non esse æqualiter perfectas. Non enim fas est existimare, minus Deum providisse pulchritudini specierum materialium, quam immaterialium.

20. Probatur secundo ex inæqualitate operationum: non enim omnes homines sunt æqualis ingenij, ac perspicaciæ in judicijs: aliqui enim sunt rebus metaphysicis maximè idonei; rebus vero mathematicis inepti. Sed dices: hanc inæqualitatem ex inæqualitate dispositionis organorum, quibus anima utitur in statu unionis cum corpore, provenire. Sed contra: quia licet hæc inæqualitas organorum non parum ad prædictam inæqualitatem conducat; sola tamen non sufficit ad illam inducendam, præsertim, quia ex organorum sola inæqualitate nulla reddi potest ratio, cur aliqui ingenio etiam clarissimi, rebus mathematicis percipiendis sint ferè inepti, aut difficillimè eas intelligant, alia vero

etiam

etiam difficillima in alijs materijs summa cùm facilitate percipiant: non ergo ex sola organorum materialium dispositione prædicta inæqualitas potest provenire; præsertim cum hi diversi perfectionum gradus valdè conducant ad pulchritudinem speciei. Hinc facilè, quæ objici possunt, dissolventur.

21. Unde cum anima Virginis fuisset à Deo ad opera excellentissima prædestinata, & ut ejus anima magnificaret Dominum, anima Virginis fuit inter omnes puras creaturas omnium maxima entitative, ac proinde resplendebant tituli objectivi fortiores, & perfectiores exigentes creationem, nēpe, tituli spiritualitatis, independentiæ à corpore, & immortalitatis. Chrisologo dicente Sermon. 14. *tanta enim est Virgo, ut quantus sit Deus satis ignoret, qui hujus Virginis mentem non stupeat, animum non miratur.* Et Eucherio cum Eusebio in Nativitate Virginis: *scire vultis, qualis sit Mater? Cogitate, qualis sit filius?* Quam obrem ex entitativa perfectione animæ Christi supra cæteros homines intra eandem speciem maxima, legitime inferenda venit perfectio animæ Virginis (quam sæpe ob similitudinem *sororem* appellat) infra Christum entitative maxima.

22. Et si omnis anima rationalis quia spiritualis exigit creationem; quæ spiritualior illâ, quæ destinata fuit ad generandū hominē Deum? Asserente Angelico Thoma: *sua operatione fines Divinitatis propinquius attingit,* in quo agnovit Caietanus quamdam affinitatem MARIÆ cum Deo: igitur cum Deus sit essentialiter spiritus, hæc propinquitas MARIÆ arguit in ejus anima perfectionem spiritualitatis, adeo entitative maximam, ut longe excedat, intra eandem tamen speciem, perfectionem physicam reliquarum animarum. Præterea: maternitas Dei radicalis consistit, ex Barbiano controv. disp. 3. & 4. in qualitate physica supernaturali elevante illam ad ordinem hypostaticum propter influxum in hypostaticam unionem: ergo subjectum physicum hujus qualitatis debet gaudere tota illa perfectione physica, cujus erat capax intra suam speciem. Dicente Damasceno oratione 1. de dormitione Deiparæ: *inter Matrem Dei, & filios Dei infinitum est discrimen:* ergo in physicis assignandum est totum illud discrimen, quod probabiliter assignabile est, spiritui Virginis præ cæteris spiritibus.

23. Præterea: cùm anima Beatæ Virginis destinata fuisset à Deo ad recipiendam gratiam majorem omnibus puris creaturis, imo simpliciter infinitam, ut luculenter ostendit Pater Joannes de Cardenas in egregio opusculo citans Sanctum Antonium 4. p. tit. 15. cap. 20. § 7. qui secutus Anselmum, & Albertum, ita loquitur cap. 14. in initio: *nulla autem pura creatura est plena gratiâ susceptive, præter quàm Beata Virgo, quæ tantam suscepit, quod pura creatura magis susci-*

 pere

pere non potuit. Cui consonat Belbartus in Stellario, qui loquens de Virginis gratiâ lib. 1. p. 5. art. 2. cap. 3. sic ait: *sua gratia tanta fuit, quòd pura creatura, nisi esset Deo unita, majoris gratiæ capax esse non potuit.* Et cum gratiâ ex Angelico Thoma 2. secundæ quæst. 24 art. 7. sit *participatio quædam infinitæ Charitatis, quæ Spiritus Sanctus est*, sequitur abldubiò, Deum in anima Virginis creasse subjectum in physicis proportionatum, quantum fieri potuit intra eandem speciem, ut Spiritus Sanctus superveniret in illam: ergo in ratione spiritus habuit physicam excellentiam cæteras animas superantem, ac proinde exigentiam fortiorem ad terminandam actionem creativam. Confirmatur ex Barbiano tract. 2. disp. 6. & 7. Flores, & Valentia: anima Virginis fuit ornata omnibus habitibus, & donis posśibilibus puræ creaturæ debitis maternitati: ergo attento rerum ordine creata fuit ejus anima cum tota illa entitativa perfectione posśibili intra suam speciem.

24. Probatur amplius ex operationibus intellectus, & voluntatis ipsius Immaculatæ Virginis: nam ejus intellectus fuit præordinatus ad adeo excellentiores assensus, ut ei dixerit Elizabeth: *Beata, quæ credidisti*: & *prius conciperet Deum mente, quàm corpore*; assensu adeo excellentisśimo, & meritorio, ut Bernardin. Senensis dixerit ser. 5 I. Mariam eo actu, quo Angelo nuntiante consensit, plus meruisse quàm omnes Angelos, & homines per omnes suos actus: ergo congruentius erat, quod in prædicato intellectivi superaret in physicis cæteras animas. Prætereà ex Patre Rhodes quæst. 5. sect. 1. § 1. habuit pro aliquibus instantibus Beata Virgo, dum viveret, visionem beatificam: ergo ejus intellectus congruenter fuit in physicis productus, proportionatus quantum fieri potest præ cæteris tanto dono. Præsertim cum fundetur in qualitate physica maternitatis physicè recepta in ipsa anima. Ulterius ex Au eolo citato à Cardenas §. 21. loquitur de Deo: *plus diligit Beatam Virginem, quàm omnem creaturam puram*: ergo plus dilexit eum, quàm omnis alia pura creatura. Dicente Augustino: *digna digno*: & Bernardo in Cantica: *dum enim dicit Dilectus meus mihi, & Ego illi, aut Sponsa in immensum gloriatur, aut Sponsus in immensum diligitur*: ergo amor Virginis erga Deum fuit omnibus amoribus puræ creaturæ excellentior. Igitur principium volitivum fuit in ordine physico cæteris excellentius; potentiæ quippe specificantur ab operationibus.

25. Ex quibus clare deducitur, quantum excelluit anima Virginis immortalitatis prærogativâ: nam cum hæc fundetur in independentia à corpore, & in incorruptione, & prædestinata fuerit ejus anima ad singularem præ omnibus puris creaturis gloriam obtinendam, apud Cardenas, infinitam, & maximam in puris creaturis

ris

ris possibilem, & hæc præcipue fundetur in materuitate, qualitate recepta in ipsa anima, clare infertur, reluxisse in ea perfectissimum prædicatum immortalitatis, quæ est objectivum fundamentum physicæ creationis. Præterea: Virginem habuisse pro aliquibus instantibus non continuis visionem Beatam, defendit Pater Rodes q. 5. sect. 1. § 1. quem Recentiores sequuntur: ergo ad adeo excellentem operationem per se connexam cum perpetuitate correspondere debet in substantia physica perfectior immortalitatis dos. Ulterius: Virgo fuit destinata ad generandum Corpus, quod nunquam videret corruptionem, sed tertia die à morte indueret immortalitatem, & anima Matris informavit Virgineum Corpus, quod seminatum animale in triduo resurrexit spirituale, & volavit ad Cœlos immortale: ergo signum est, perfectissime radicatum in egregia adeo anima immortalitatis physicum prædicatum, & ob omnes titulos fortius reliquis animabus puri hominis, creationem exigere. Urgetur vehementer: quia juxta aliquos, ut videre est apud Eximium lib. 5. de Angelis cap. 1. n. 2. prima gratia fuit data Angelis juxta proportionem majoris, vel minoris naturalis perfectionis: ergo vice versa bene argumentatur: Beata Virgo fuit destinata ad recipiendam gratiam, summam perfectionem, donaque supernaturalia supra omnem puram creaturam: ergo in linea physica fuit creata à Deo perfectione omnium maxima naturali intra lineam puræ creaturæ, & sphœram naturæ spiritualis incompletæ.

SECTIO II.
De tempore creationis animæ rationalis.

§. I.
Quo tempore creatur anima rationalis?

26. CUm anima rationalis non sit ab æterno producta, notissimum est, creatam fuisse in tempore; & cum sit creata propter hominis constitutionem, est consonum naturali philosophiæ, ut non fiat ejus creatio, donec corpus perfecte organizatum nihil præter animam expectet ad operationes humanas exercendas; prius enim 2. Genesis, ℣. 7. *formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ*, & postea *inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem*; & quidem si non fuit ab æterno creata, ut de fide certum est, nec in initio mundi fuerunt productæ omnes animæ, quas de facto Deus decreverat usque ad finem mundi producere; non est assignabile tempus aliud, in quo animæ rationales incipiant habere esse, quàm in instanti, in quo corpus perfectè organizatum nihil desi-

deret ex parte sui ad hominem actu constituendum, præter animam rationalem. Quare relictis aliquorum Philosophorum, & Medicorum singularibus placitis, quibus senserunt; animam non esse substantiam, sed accidens, vel accidentium harmoniam, seu temperamentum, relatis à D. Thoma in q. 1. disp. de anima art. 1. & lib 2. côtra Gentes cap. 63.

27. Dico: anima rationalis creatur à Deo in instanti in quo corpus est perfecte organizatum, & ultimò dispositum ad animam. Probatur ex prædicatis substantialibus convenientibus omni, & cuilibet animæ viventi: quæ prædicata complexus est Aristoteles lib. 2. de anima cap. 1. & 2. animam sic definiens: *anima est actus primus substantialis corporis physici organici potentia vitam habentis.* Aliter explicat animæ naturam: *anima est id, quo vivens sensitivum loco movetur, & intelligit*: Unde animam definit per ordinem, & habitudinem ad corpus: ergo prius apponi debet corpus ipsum ultimo dispositum, quàm intelligatur anima, ac proinde, quàm producatur. Confirmatur: corpus concurrit in genere causæ moralis exigentis à Deo animæ productionem; sed causa est prior in sua linea effectu: ergo prius intelligitur corpus ultimò dispositum, quàm intelligatur anima.

28. Probatur secundo: omnis anima est actus corporis physici organici: ergo anima habet rationem actus primi, & corpus rationem subjecti; sed ratio actus primi est respectiva, & dicit ordinem, seu habitudinem transcendentalem ad subjectum: ergo anima dicit ordinem ad corpus organicum ut subjectum; sed subjectum est prius in executione actu: ergo prius est organicum corpus, quàm anima. Roboratur ex Aristotele 7. Meth. cap. 11. tex. 39. dicente: *perspicuum est, animam substantiam esse primam, corpus materiam; hominem vero, aut animal esse id, quod ex utroque constat.* Et in eodem lib 2. de anima tex. 4. paulo ante definitionem dixit: *corpus profectò non erit anima, sed ut subjectum potius esset materia,* sed subjectum, & materia est prius formâ: ergo prius est corpus organicum, quàm anima.

29. Declaratur: quamvis juxta Scotum in 4. dist. 11. quæst. 3. artic. 2. secutum à suis, & à plurimis ex nostris, addatur, nomine *corporis organici* non significari solum materiam primam, sed compositum ex illa, & forma substantiali corporeitatis, quam, existimant, esse distinctam in re ipsa ab anima in viventibus omnibus, & ideo dicunt, animam, ut anima est, dicere habitudinem ad materiam primam informatam forma corporeitatis; ex hac sententia non enervatur assertio nostra: quia etiam si corpus includat gradum corporeitatis, comparatur ad animam, ut anima est, tamquam potentia, & subjectum non propriæ inhæsionis, sed substantialis compositionis; sed potentia, & subjectum præcedunt productione ad suum actum: ergo

etiamsi corpus includat substantialem formam corporeitatis, producitur priùs, quàm anima, nec anima creatur, donec præcedat saltem naturà corpus ultimò dispositum ad animam.

30. Ita docet D. Thomas in q. de spiritualibus creaturis art. 3. ad 2. dicens: *cùm forma perfectissima det omnia, quæ inferiores, & adhuc ampliùs, materia prout ab ea perficitur modo imperfecto consideratur, ut materia illius formæ, ut perfectiori modo informat*: unde concludit: *sic ergo ista materia secundùm quod intelligitur ut perfecta in esse corporeo susceptivo vitæ, est proprium subjectum animæ*: ergo ex Divo Thoma anima ex actus proprius corporis, ac proinde advenit ultimò corpori; quod non potest fieri, nisi supponat corpus jam productum. Roboratur: vivens, & animatum est finis, & prima intentio naturæ, ac agentis operantis; sed anima ex alia Aristotelica definitione, quam multi à posteriori judicant, est id, *quo vivimus, sentimus, loco movemur, & intelligimus*: ergo anima est, quæ ultimò creatur ad constituendam animatum: nam finis est prior in intentione, & posterior in executione. Declaratur magis: nequit esse anima, quin exerceat aliquam operationem vel vegetandi, vel sentiendi: ergo nequit anima produci, quin supponat subjectum, organa, & dispositiones ad exercendam aliquam ex his operationibus.

31. Urgetur: eo ipso, quod deficiat temperamentum, organa, vel dispositiones, ut anima exerceat suas operationes, ita ut nullam exercere valeat, desinit anima informare corpus, & actuare: ergo eò ipso, quòd nihil deficiat ex parte corporis ad recipiendas operationes animæ, informat anima; sed tunc incipit esse, quando incipit informare: ergo tunc incipit esse, quãdo corpus organicum intelligitur ultimò dispositum. Explicatur: non intelligitur, animam deficere, nisi priùs intelligatur, corruptum esse corporis temperamentum necessariò requisitum ab anima: ergo non priùs intelligitur, animam informare, quã intelligatur ex parte corporis ultima dispositio, & temperamentum.

32. Probatur contra Platonem, & nonnullos alios antiquos Philosophos, qui censuerunt, animam viventium non esse formam substantialem informantem, sed assistentem, quasi aurigam, & motricem, ut loquitur Aristoteles de anima Cœli in lib. 2. de Cœlo cap. 2. & 12. Si anima in Equo, v. g. non est substantialis forma, nulla dabitur forma substantialis. Probatur: non dabitur in viventibus, ut defendunt; sed non potest reddi ratio, ob quam corpora non viventia formis substantialibus in suis speciebus constituantur, & viventia illis careant: ergo. Facile probatur minor: viventia sunt perfectiora non viventibus: quia majorem organorum, & potentiarum varietatem habent, sed hoc non obstante careat uno principio, in quo radicentur, nem-

pe,

pe, formâ: ergo si in corporibus rerum viventium nulla est substantialis forma, minus erit in non viventibus, ac proinde tota substantia corporum omnium erit sola materia, nec una species differet ab alia nisi accidentaliter; quod est philosophicum absurdum.

33. Roboratur argumento positivo: præcipua forma uniuscujusque substantiæ est, à qua omnes facultates, & operationes ejusdem substantiæ pendent; sed ita est anima in composito vivente: ergo est substantialis forma. Minor experimento claret: nam recedente anima, omnes facultates vitales deficiunt: ergo ab ipsa dependent. Ex quo sic: omnis forma rerum generabilium, & corruptibilium requirit in subjecto dispositiones, & temperamentum ad sui introductionem, & conservationem: ergo si anima est forma viventis generabilis, & corruptibilis, requirit in corpore organico præcedentiam hujus temperamenti ad sui introductionem; sed anima rationalis est genericè, sicut aliæ formæ viventes, actus, & forma corporis physici organici generabilis, & corruptibilis: ergo requirit dispositiones proprias in corpore organico ad sui introductionem; sed introducitur per sui creationem: ergo tunc temporis creatur anima rationalis, quando corpus est ultimò dispositum ad vitam.

*** *** ***

§. II.

Non obstante spiritualitate animæ rationalis, creatur in instanti, quo corpus organicum est ultimò dispositum.

34. EXplicata difficultate circa cæteras animas, & cum quibus animam humanam convenire contendimus in prædicatis genericis restat specialis modus circa propriam speciem animæ rationalis, qui alligatur quæstioni apud Philosophos, an nimirum anima rationalis sit vera forma corporis? Nam si vera forma demonstratur, nullum, vel parum dubium restat, non produci, nisi ad exigentiam naturæ, & propter totum efficiendum; cumque ipsa habeat rationem actus incompleti, expectare debet subjectum ultimò dispositum ad sui productionem. Quod roboratur, quia pars incompleta suapte natura ordinatur ad totum constituendum, ac proinde debet esse exacta ab alia comparte, ut resultet totum perfectum, & erumpat in operationes proprias hominis: unde liquido fluit, totum negotium stare in comprobando, substantiam spiritualem sortiri rationem veram formæ.

35. Quam controversiam luculenter dirimit Angelicus Præceptor q. unica de anima, art. 1. & Exim. Suarez tract. 3 de anima lib. 1. cap. 11. cum quibus teneo, animam rationalem esse

esse veram formam corporis. Probatur ex Concilio Viennensi sub Clemente V. in Clementina unica § *Porro* de Summa Trinitate: *do-* „ *ctrinam* (inquit) seu positionem „ temerè asserentem, aut verten- „ tem in dubium, quod substantia „ animæ rationalis, seu intellecti- „ væ verè, ac per se humani cor- „ poris non sit forma, ut erro- „ neam, & veritati catholicæ ini- „ micam, prædicto approbante Cō- „ cilio, *reprobamus*. Et infra decer- „ nit: *ut quisque* deinceps asserere, „ defendere, aut tenere pertinaci- „ ter præsumpserit, quod anima „ rationalis non sit forma corpo- „ ris humani per se, & essentia- „ liter, tamquam hæreticus sit *cen-* „ *sendus*. Quam definitionem amplectitur Lateranense sub Innocentio III in cap. *firmiter* de summa Trinitate, docens, credisse Deum à „ principio creaturam corporalem, „ & spiritualem, & deinde homi- „ nem ex utraque, id est, ex spi- „ ritu, & corpore constitutum. Accedit Athanasius in symbolo, „ *sicut* anima rationalis, & caro „ unus est homo, ita Deus est ho- „ mo unus est Christus: ergo de fide est animam rationalem esse formam; & erroneum est asserere, fuisse productam ante corpus.

36. Probatur ergo ratione: nulla repugnantia ostenditur ex parte Corporis: quia per talem formam magis perficietur; sed nec ex parte formæ spiritualis: quia ut sit actus informans, non est opus, ut dependeat in suo esse à materia cum sufficiat dependentia in aliquibus operationibus, nec item est necesse, ut materia animæ coextendatur: nam poterit tota anima esse in tota materia, & tota in qualibet parte: ergo nulla ostenditur repugnantia in eo, quod anima rationalis sit vera forma corporis. Probatur secundo experientiâ: experitur quivis homo, se vivere, ratiocinari, & discurrere, sicut experitur se sentire, aut audire, & qui hoc non experitur, vel experiri negat, non homo, sed brutum erit, sed hoc non experiretur, si anima rationalis non esset vera forma: ergo est vera forma.

37. Declaratur: intelligere est operatio vitalis, ac proinde procedere debet à principio intrinseco, & per actionem immanentem: ergo si cogitatio non est à me, etiam non est in me. Quia cogitari non potest, nec mente concipi, ut quis videat, & nihilominus actum videndi non efficiat, nec in se recipiat: ergo si ipse ego intelligo, actum intelligendi ego ipse facio, vel recipio, sed non cogito, vel intelligo à me ratione materiæ: ergo debet esse ratione formæ: ergo principium intelligendi in me debet esse necessariò forma mea. Roboratur: homo specie distinguitur à brutis: ergo ratione alicujus substantialis formæ; atqui non superest alia forma, quàm, quæ constituit hominem in gradu rationalis, quæ est ultimum distinctivum hominis à brutis: ergo principium rationale est forma

hoc

hominis constitutiva: nam forma infra rationalem non potest facere, hominem essentialiter differre à bruto; ac proinde homo, & erit essentialiter brutum: nec erit homo, qui intelligit, & discurrit, nec amabit, nec bene aget; cum esset homo separatus à principio intelligendi, amandi, & bene agendi: igitur convincitur, animam rationalem quantumvis spiritualem esse veram formam corporis.

38. Angelicus Præceptor præter locum supra citatum lib. 2. contra Gentiles ostendit luculentissimé, animas non esse creatas separatas à corpore, toto cap. 83. Argumentaque in oppositum nativa claritate diluit. Ideo non immoramur in re adeo perspicua, Lectoremque ad fontem remittimus, tantumque damus verba numeri 2. & 3. *adhuc unicuique formæ naturale est propriæ materiæ uniri, alioquin constitutum ex forma, & materia esset aliquid præter naturam: priùs autem attribuitur unicuique, quod convenit ei secundum naturam, quàm quod convenit ei præter naturam. Quod enim convenit alicui præter naturam, inest ei per accidens; quod autem convenit ei secundum naturam, inest ei per se Quod autem per accidens est, semper posterius est eo, quod est per se. Animæ igitur priùs convenit, esse unitam corpori, quàm esse à corpore separatam.*

39. Amplius: *omnis pars à suo toto separata est imperfecta; anima autem cum sit forma, ut probatum est, est pars speciei humanæ: igitur existens per se absque corpore est imperfecta; Perfectum autem est priùs imperfecto in rerum naturalium ordine: non igitur competit naturæ ordini, quod anima fuerit prius creata à corpore exuta, quàm corpori unita* Hactenus Angelicus Præceptor Nec rationes Gentilium, & aliorum Philosophorum aliquid concludunt. Primum potest sumi ab inductione aliarum intelligentiarum, etiam motricium Cœlorum, quæ non sunt veræ formæ corporum, quibus assistunt. Secundum: quia nulla substantia spiritualis potest uti corpore ad propriam operationem illi convenientem, cum operationes istæ sint meræ spirituales, ut sunt intelligere, velle, & amare.

40. Tertium: quia inter actum, & potentiam debet intervenire proportio; sed non invenitur inter materiam divisibilem, & extensam, & spiritum indivisibilem: ergo nequit spiritus esse actus, & forma materiæ. 4. forma habet naturalem appetitum ad materiam; sed spiritualis substantia nequit habere istum appetitum; cum per materiam impediatur à proprijs; & excellentioribus operationibus: ergo. 5. quia animæ esset connaturalis status conjunctionis, & status separationis; sed implicat formæ, cui sint connaturales duo actus oppositi: ergo. 6. quia forma non unitur materiæ, nisi medijs accidentibus, & dispositionibus: ergo existentibus his dispositionibus, unitur anima, & deficientibus, separatur; sed nequit spiritus habere tantam dependentiam à rebus ma-

re-

terialibus: ergo spiritus nequit esse forma materiæ. 7. anima incorruptibilis nequit esse proportionata corpori corruptibili, nec propter corpus; sed forma debet esse proportionata materiæ: ergo anima spiritualis nequit esse forma materiæ.

41. Facilè respondebis ad primum, distinguendo inter substantias spirituales completas, & incompletas, cum pertineat ad Omnipotentiæ extensionem, quod sicut dantur substantiæ spirituales completæ, & completæ corporeæ, detur etiam substantia media completa ex corpore, & spiritu. Ad secundum etiam distinguo concedendo de substantia spirituali completa; negãdo de incompleta: nam hæc eo ipso indiget corpore, ut homo exerceat operationes proprias hominis, & quãvis non indigeat ad operationes merè spirituales corpore, ut subjectò, indiget, ut medio quodam, ad recipiendas species. Ad tertiam distinguo: debet intervenire proportio in ratione entis, nega; in ratione actus, & potentiæ concede. Ad quartum nega minorem: quia dum est sine materia est in statu incompleto, & licet exerceat aliquas operationes, caret illis operationibus proprijs sentiendi, vegetandi, &c. Ad quintum: cùm anima sit excellentior materiâ, opereturque perfectius separata, non sunt duo actus oppositi: cum operationes pro eo statu non pugnent cum operationibus pro alio. Et ut respondet Angelicus, quæst. unica de anima art. 1. ad 5. *quia anima humana non est forma à materia totaliter comprehensa: quod patet ex hoc, quod aliqua ejus operatio est super materiam.* Aliter sequitur respondendo: *potest tamen aliter dici secundam sententiam fidei, quod corpus humanum à principio aliquo modo incorruptibili constitutum est, & per peccatum necessitatem moriendi incurrit, à qua iterum in resurrectione liberabitur: unde per accidens est, quod ad immortalitatem animæ non pertingit.* Ad sextum distinguo minorem: tantam dependentiam in esse, concedo, in complecri, nego. Ad septimum distinguo: corporis propriè corruptibilis, concedo; denominativè, & impropriè, nego. Tota corruptibilitas est propter unionem, quin materia corrumpatur, nec anima.

§. III.

De Corpore Beatissimæ Virginis.

42. CUm planum sit ex Angelico Divo Thoma lib. 2. contra Gentiles cap. 90. nulli alij corpori, nisi humano uniri substantiam spiritualem, ut formam, expendere hic licet perfectionem corporis Beatissimæ Virginis, quod fuit subjectum illius Immaculatæ Substantiæ. Quod fuisset inter corpora organica perfectissimum, facilè meo judicio demonstratur: primo propter animam, cujus subjectum destinabatur; secundo propter Corpus Christi Do-

mini, ad cujus efformationem præparabatur. Tertio propter singulares dotes ipsi corpori præ cæteris, & præ omnibus communicandas.

43. Et quidem si ex perfectione animæ taxanda est corporis perfectio, docente D. Thom. in 4. dist. 49. q. 2. art. 6. ,, *forma* non ,, conjungitur perfectibili, nisi quando perfectibile habet disposi- ,, tiones, quibus efficitur suscepti- ,, vum talis formæ; sicut corpus ,, non unitur animæ, nisi quando in ,, corpore sunt dispositiones con- ,, venientes ad animam *suscipien- ,, dam*. Cùm anima Virginis fuerit in entitativa physica perfectione omnium maxima intra speciem animarum humanarum, sequitur, fuisse corpus virgineum, intra lineam corporis organici, omnium corporum perfectissimum. Comprobatur experientià: nam secundum perfectionem formarum materialium videmus, materiam per potiores dispositiones, & organizationes nobilitari; naturamque plus, & subtilius in istis laborare: cum igitur anima rationalis sit nobilior inter formas debebat parari à natura materia nobilius disposita, quale est humanum corpus, de quo possumus dicere cum Augustino hom. 32. & 50. *& miratur alia homo cum sit ipse mirator magnum miraculum*: ergo si anima Virginis fuit omnium maxima præter Christum, ejus corpus fuit perfectissimum infra Christi corpus.

44. Unde colligunt multi Beatam Virginem propter optimam corporis complexionem nunquam in verum, ac proprium morbum incidisse: & Sophronius in Epist. Synodica, quæ habetur in 6. Synodo act. 11 dicit, corpus Virginis ab omni contagione fuisse liberum; & ejus carnem immaculatam, & purissimam vocat, quæ *sancta, & immaculata* dicitur in eadem 6. Synodo act. 18. in Edicto Constantini. 2. colligitur, Beatam Virginem honestissima corporis pulchritudine præditam fuisse; ut late docuit Anton. 4. part. Theolog. tit. 15. cap. 10. § 2. Et colligitur ex Ricardo Victorino cap. 26. in Cant. ubi dicit, fuisse *vultu Angelico tam corpore, quàm mente*, accommodans illud: *tota pulchra es Amica mea*. Unde Gregorius Nazianzenus in Christo patiente ante medium sic inquit: *O Virgo formæ quæ nitore cæteras prais*: & Andreas Hierosolymitanus Serm. de Assump. sic ad Virginem loquitur. *Eximia pulchritudo à Deo sculpta, statua rectè descripta*; Unde pulchritudo Rachel, & similium mulierum veteris testamenti figura fuit pulchritudinis Virginis.

45. Cui veritati consentanea sunt, quæ refert. Nizephorus de forma Virginis lib. 2. cap. 23. Quod ratione naturali comprobatur: nam pulchritudo conflatur ex tribus, ut docet Divus Thomas 1. p. q. 39. art. 8. & 2. 2. q. 145. art. 2. Et ex Dionysio cap. 4. de Divinis nominibus: & August. 22. de Civitate Dei cap. 19. Primo ex omnium membrorum integritate;

te, quam fuiſſe in corpore MARIÆ, certiſsimum eſt. Non enim accepit corpus mutilum aut monſtruoſum. Secundo ex eorundem membrorum debita proportione. Et hanc fuiſſe in corpore Virginis, facilè perſuadetur: quia tale corpus debebatur perfectiſsimæ animæ ejus, ideoque oportebat eſſe naturà ſuà aptiſsimum ad vitalia animæ opera exercenda, ordinatiſsimasque recipiendas operationes; quæ aptitudo multum ex dicta proportione pendet. Tertio requiritur ad pulchritudinem corporis conveniens color nativus, qui oritur ex optimo temperamento, & complexione: ſicut ergo fuit optima in corpore Virgineo, ita illi erat connaturalis perfectus color, & ad pulchritudinem corporis humani maximè accommodatus.

46. Et certè Adam, & Evæ corpora fuiſſe perfectiſsima in linea organica, temperamento, diſpoſitione, ac pulchritudine evincit noſter Suarez in opuſculo de opere ſex dierum, lib. 3. cap. 3. n. 8. ex cujus doctrina liquido conſtat, Virgineum MARIÆ corpus fuiſſe perfectiſsimum inter fœminas poſsibiles. Quod ſic oſtendo: in tom. 2. in 3. p. ſic probat corpoream Virginis perfectionem: inquit ergo diſp. 2. ſect. 2. n. 2. corpus Beatiſsimæ Virginis fuiſſe in ſua ſpecie, & ſexu maximè perfectum. Primo: quia ex illo corpore corpus Chriſti formandum erat: ad Divinam ergo providentiam pertinuit accommodare media fini; & materiam effectui aptam præparare: preſertim cum Divina Virtus, quæ in hoc opere ſingulariter operabatur, facillimè hoc poſſet facere. Secundo: quia decuit, Chriſtum, & Virginem eſſe inter ſe ſimillimos, non ſolùm moribus, ſed etiam, & corporis perfectione, & affectibus; hæc enim ſimilitudo, & ad conciliandum amorem, & ad majorem perfectionem pertinet: ergo ex Eximio perfectio corporis Virginei taxanda eſt ex perfectione corporis Chriſti.

47. Doceat ergo, quid ſentiat de corpore Chriſti. Ait porro tom. 1. in 3. part. diſp. 32. ſect. 2. à num. 2. aſſumpſiſſe Chriſtum corpus humanum perfectiſsimum, perfectamque corporis pulchritudinem, ſequens communem ſententiam Sanctorum, accomodans illud Pſ. 44. *Speciosus forma præ filijs hominum;* primosque Patres ipſum interpretantes de pulchritudine corporis; ac Chryſoſt. homil. 18. in Math. ſic de Chriſto loquentem: *ſicut in ſignis perficiendis mirabilis fuit, ita viſu gratiſsimus fuiſſe dicitur:* & Hieronymum tom. 3. Epiſt. 160. ad Principiam de Chriſto: *univerſis pulchrior eſt Virgo de Virgine, qui non ex ſanguinibus, ſed ex Deo natus eſt.* Confirmat hæc omnia: quia corpus Chriſti Spiritus Sancti virtute fabricatum eſt, & opera, quæ Deus per ſe ipſum facit, ſunt pulcherrima, & perfecta. Secundo paritate Adam immediate effecti à Deo: 3. quia corpus Chriſti futurum eſt veluti objectum beatitudinis cor-

poris nostri; ut supra docuerat cum Augustino, & Cypriano disp. 5. & quia futurum est exemplar pulchritudidis omnium corporum Beatorum: ergo ipsum pulcherrimum est.

48. In opusc. sex dierum lib. 3. cap. 3. num. 9. quærit: an in perfectione corporali Adam Christum excesserit, vel è converso? Et respondet, si datur summus terminus perfectionis corporalis, fuisse æquales Christum, & Adam, & judicans, non esse terminum cathegorematice talem hujus perfe„ ctionis concludit: *si verò* inter „ eos aliqua fuisset, & fuit illa in„ æqualitas, excessus quidem per„ fectionis Christo tribuendus *est.* Unde fluit 1. Adamum perfectiorem debere esse Evà: quia ut dixit Paulus 11. ad Corinthios: *non Vir ex muliere, sed mulier ex Viro*: ergo cum non corpus MARIÆ fuisset ex corpore Christi, sed è converso, ex corpore MARIÆ corpus Christi, dicente MARIA ad Christum, quod Adamus ad Evam: *Os ex ossibus meis, & caro de carne mea;* cum aliunde sit perfectius corpus Christi corpore Adami, sequitur corpus virgineum fuisse magis perfectum corpore Adami, ac per consequens corpore Evæ. Præterea: non est cur negetur possibilis terminus maximus pulchritudinis corporalis, dicente Spiritu Sancto: *una est perfecta mea, una est*, & Augustino serm. de Assumpt. *ineffabilis sanctificationis gratia, quantum in corpore Virginis valuerit, illi solum notum est, qui de ejus natura naturam suscepit.* Et Joanne Damasceno orat. 1. de dormit. Deiparæ: *inter filios Dei, & Matrem Dei infinitum est discrimen.* Et Angelico D. Thoma 1. p. q. 25. art. 6. *ad 1. non potest aliquid fieri melius ipsa* (loquitur de Virgine) *sicut non potest aliquid melius esse Deo.* Quod roboratur: quia omnia, quæ competunt corpori Christi, competunt carni MARIÆ quoad perfectionem corporalem: quia ex corpore MARIÆ fuit corpus Christi, dicente Augustino serm. de Assumpt. cap. 5. *Caro Christi caro est Mariæ. Et quamvis gloria resurrectionis fuerit magnificata, eadem tamen mansit, quæ assumpta est de Maria*: ergo sicut corpus Christi fuit perfectissimum in linea corporali supra cætera corpora possibilia, ita corpus MARIÆ fuit perfectissimum supra omnia possibilia corpora infra Christum, & infimum supremi attingit supremum infimi.

49. Præterea: hæc maxima corporalis perfectio Virgini debebatur præ cunctis propter singulares dotes ipsi communicatas: nam primum, fuisse conceptum Virgineum corpus adeo extra libidinem Parentum, & ex semine adeo puro, ut si fuisset generata in statu innocentiæ, defendit Doctor Eguiara allegans Mag Sententiarum lib. 3. dist. 3. imò si fuisset genitum in ipso cœlo, ut infertur ex Laurentio Dalmata in mundo Mariano discursu 1. à n. 15. ubi egregie de corpore Virginis, Secundo

ex

ex P. Peralta citante Eximium tom. 2. in 3. p. disp. 5. sect. 5. & communem Patrum: ab instanti conceptionis fuit in B. Virgine extinctus omnis peccati fomes tam in actu primo, quam in actu secundo. Tertio: ex P. Mario de Incarnat. tractatu 17. disp. 7. sect. 5. n. 49. *B. V. habuit fomitem ad virtutem naturalem, seu ad benè naturaliter operandum.* Quarto: ex Ripalda disp. 19. sect. 13. n. 72. *Maternitas sanctificavit corpus Virginis Sanctitate propria, & singulari:* dicente Sophronio in Ep ad Sergiũ 1. p. in 6. Synodo: *Virgo Sancta accepit, & corpus animæ, quod sanctificat.* Quinto: ex Eximio supra disp. 21. sect. 2. n. 5. *Corpus Virginis fuit quidem initium humanæ salutis: quia ex illius semine corpus, sanguisque Christi sumptum est, quod fuit nostræ salutis pretium.* Sexto: quia istud corpus surrecturum erat paulo post mortem, assumptumque in cœlo collocandum supra omnem puram creaturam, dicente Hugone Victorino lib. 3. erudit. Theolog. cap. 125. *quod sine dolore mortis obijt, quodque cum corpore in cœlo vivit, & ad dexteram Filij singulariter sedet.* Psalmista testante, *Adstitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate:* igitur Virgineum corpus fuit undequaque perfectissimum & statim ac organizatum, fuit creata perfectissima anima immaculatæ creaturæ.

****
***

SECTIO III.

An possit Deus creare animam rationalem extra corpus ultimò, & perfectè organizatum?

§. I.

An possit Deus ut Author naturæ creare animam rationalem extra corpus ultimò organizatum?

50. NON intendimus hic innodari circa varia apud Philosophos in hoc puncto tractata; ideoque omittimus: an possit Deus miraculosè producere, vel conservare formas materiales extra materiam? Tum quia etiam negantes, formas materiales esse quid substantiale, sed asserentes, tantum esse modificationem quamdam particulariũ materiæ particulari harmonia, ac ratione conjunctarum, quæ neque Divinitus ab eis separata existere potest (ut videre est apud Toscam tract. 3. physic. general. lib. 1. cap. 3. propositione 48. n 2.) diversimodè sentiunt de anima rationali. Defendentes, formam materialem esse quid absolutum substantiale, communiter defendunt, posse Deum illã saltim conservare extra materiam, paritate formarum accidentalium

Eu-

Eucharistiæ; sed simul dicunt, non posse Deum absque miraculo istud facere, cum majorem connexionem habeat forma materialis cum materia, vel saltem tantam, quantam quantitas, & accidentia.

51. Præterea: non investigamus: an possit materia privari omni forma substantiali? Quia nec supernaturaliter posse, defendunt Thomistæ consequentes ad sua principia de existentia materiæ per existentiam formæ. E contra posse privari omni forma, non vero naturaliter, sed miraculo interveniente, defendunt Scotistæ cum Subtili Doctore, & plurimi ex Nostris, quamvis in hac privatione judicent, non intervenire miraculum quoad substantiam, seu secundum positivum; sed tantum quoad modum, & secundum negativum; ideoque materiam conservari per eandem actionem, per quam fuit creata, tantumque intervenire miraculum in conservatione materiæ, non intrinsecè secundum se spectatæ, sed tantum consideratæ in his circumstantijs, & reduplicative sumptæ, in quibus debetur ipsi aliqua forma. Alij vero, ut fusè Pater Augustinus Laurentius Lusitanus in cursu philosophico tom. 4. tract. 1. disp. 2. sect. 2. defendit, materiam posse existere naturaliter absque omni forma substantiali, & respondet probabiliter argumentis contrarijs, ibique n. 140. hæc habet: *respondeo 1. non esse adeo certum, animam non posse primo produci extra corpus:* intelligit *naturaliter*: nam respondet ad hanc urgentiam: *anima rationalis non producitur naturaliter absque materia: ergo neque materia poterit naturaliter sine omni forma existere.* Quare.

52. Sit nostra conclusio: probabiliter nullum intervenit miraculum in creatione animæ rationalis extra corpus ultimo organizatum, ita ut Deus creet animam rationalem propter exigentiam corporis, illam tamen primo producat extra corpus, & in eodem ipsissimo instanti productionis infundat in ipsum corpus. Probatur singillatim assertio: non repugnat ex parte animæ: quia anima rationalis naturaliter existit à corpore separata, & naturaliter separatur à corpore, cum nobiliores operationes separata sortiatur; sed non repugnat ex parte corporis: ergo ex nullo capite repugnat. Probatur minor: non repugnat ex parte corporis, quia materia, non ex parte corporis, quia organici; sed neque quia ultimo organici, sive exigentis animam pro forma: ergo ex nullo capite repugnat. Probatur prima pars antecedentis tripartiti: semper ac materia est cõpleta cum aliqua forma, naturaliter existit, in omni Schola; sed corpus in hoc sistemate existit, vel cum forma embrionis, vel corporeitatis, vel aliqua alia materiali consistente in particularum seminalium harmonia: ergo corpus illud substantiale naturaliter existit.

53. Probatur secunda pars: corpus organicum in tantum na-

tura:

turaliter existit, in quantum organizationes gaudent formâ proportionatâ, à qua radicentur; sed organizationes corporis usque ad ultimum gradum exigentiæ, proportionaliter radicantur à forma corporeitatis, vel embrionis, vel alia simili materiali; sicut dispositiones vitæ usq; ad ultimum gradum vitæ sufficienter radicantur à forma vitali: ergo corpus quia organicum, & ultimo organicum naturaliter existit sine anima rationali. Roboratur: exigentia, & ordo fundatur in indigentia, & dependentia ita ut si unum esse sine alio, contradictionem involvat; non posset hæc exigentia nec divinitus vinci, si superet vires naturæ, solum per miraculum, & si vires naturæ non superet, potest naturaliter vinci; sed istiusmodi est exigentia corporis ultimo completi ad animam rationalem: ergo potest naturaliter evenire. Explicatur: ordo, & exigentia corporis ultimo dispositi ad animam rationalem non est exigentia modi cum extremis, non est exigentia tamquam cum causa, non est exigentia tamquam cum complemento: ergo quamvis sit exigentia, non est unde naturæ repugnet ejus violatio.

54. Neque dicas primo: esse exigentiam ad animam tamquam ad perfectius ejus complementum: nam contra: vel materia appetat æqualiter omnes formas, vel inæqualiter, appetendo magis perfectiores, æquè naturaliter existit cum perfecta, ac cum minus perfecta, quia quælibet forma est naturale sufficiens materiæ complementum: ergo quod exigat animam perfectiorem, non tollit quo minus naturaliter existat, si existit cum alia forma: ergo quamvis corpus organicum ratione dispositionum exigat animam rationalem, non indiget anima rationali ad sui naturalem existentiam; sicut quamvis aqua existat sine actuali frigiditate quam exigit, & grave extra centrum, non impedit, quominus naturaliter existat: quia hujusmodi exigentiæ terminus non infert indigentiam in aqua, & gravi ad sui naturalem exigentiam: quia sunt termini; non tamen requisiti à natura, ut alij, ad naturalem exigentiã. Neque replices: quod quamvis exigentia ignis ad comburendum sit ad terminum, sine quo naturaliter existit ignis; tamen combustionem negatã igni Babylonico, constat, fuisse miraculum: ergo similiter negatio infusionis animæ in corpus erit supernaturalis, quamvis non indigeat corpus animâ ad naturaliter existendum: ergo similiter, quamvis corpus organicum existat naturaliter sine anima, erit negatio animæ miraculosa.

55. Respondeo: quod sicut ignis Babylonicus naturaliter existit sine combustione, quam exigit, ita corpus naturaliter existit sine anima, quam exigit, ideoque miraculum non consistit in conservatione ignis Babylonici, sed in non combustione. Hic reclamas: ergo miraculum stat in negatione

ani-

animæ rationalis, & unionis ad corpus. Nego consequentiam: quia actio solum potest egredi ab agente, sicut illa combustio ab illo igne, & tota natura petit, ut causa physica necessaria debitè applicata necessario naturaliter operetur, ast exigentia corporis est de linea morali, quatenus movet Deum ad creationem animæ, & infusionem in corpus, & media creatione ad infusionem animæ rationalis exigit unionem; apud defendentes unionem distinctam. Unde si combustio esset necessario physice ab alio agẽte, & ignis tantum exigeret fieri ab alio, sicut exigit corpus, creari à solo Deo animam rationalem, nullum miraculum intervenisset in negatione combustionis: verum est quod corpus producit unionem, quam exigit; sed cum solum exigat producere ad infusionem animæ, dum anima non infunditur, non violatur ejus proxima completa exigentia.

56. Roborantur hæc: in casu figurato in eodem instanti, in quo creatur anima extra corpus, infunditur in corpus: ergo numquam verificatur, quod corpus existat in aliquo instanti reali sine termino suæ exigentiæ: ergo quamvis creare animam rationalem extra corpus esset per se miraculum, nullum est miraculum in prædicto casu. Declaratur: quamvis ignis non posset esse sine combustione, nisi miraculose, nullum intervenit miraculum, si in eodem instanti reali, in quo applicatur, comburit: ergo quamvis negatio exigentiæ corporis esset miraculosa, non est miraculum in figurato casu. Roboratur: negatio alicujus termini exigentiæ, quæ non potest esse naturalis per longum tempus, est naturalis ad breve tempus: sic exigentia lapidis in aere per longum tempus superaret vim agentium naturalium; & non superat per breve tempus: ergo sine controversia non est contra exigentiam corporis ultimo exigentis animam creatio animæ extra corpus, quando nec per breve tempus spoliatur anima rationali, quam exigit.

57. Unde liquido claret, in nulla schola esse miraculosam creationem animæ ita figuratam. Non apud Thomistas: quia non privatur materia forma substantiali. Non apud Atomistas: quia non privatur materia harmonica partium cõventione. Non apud Schotistas, quia non privatur materia forma corporeitatis. Non apud Nostros: quia in nullo instanti intelligitur materia sine forma: ergo in omni sententia potest creari anima rationalis extra corpus ultimo completum, & in eodem instanti reali absque miraculo infundi. Sed cùm difficillimè intelligatur, quomodo hoc evenire possit in unico instanti reali, sit.



Quo-

§. II.

Quomodò in unico instanti reali possit anima rationalis creari extra corpus, & in eodem instanti reali infundi?

58. SUppono primo cum communi Philosophorum: inter causam, & effectum dari prioritatem naturæ, & posterioritatem, quæ nullomodo est confundenda nec cum prioritate rationis, quæ reperitur interdum inter prædicata solà ratione distincta; quando unum concipitur ut radix alterius, ut cum rationale dicitur prius admirativo, & admirativum risibili: quia cum hic non interveniat realis causalitas, nec intervenit nisi prioritas rationis. Nec confundenda est cum prioritate temporis, vi cujus unum extremum existit in instanti, in quo non dum existit aliud postea extiturum: quia prioritas, & posterioritas naturæ accidit in unico instanti indivisibili; sed ut verificetur prioritas, & posteritas, dantur signa naturæ priora, & posteriora.

59. Suppono secundo: dari posse in eodem instanti, non duo tantum, sed tria, vel plura signa naturæ, si nimirum, detur series plurium causarum, & effectuum v.g. in eodem instanti datur primò signum, quo Deus est natura prior Angelo. Secundò signum, quo Angelus est prior suà potentià intellectivà, Tertiò signum, quo intellectus Angeli prior est intellectione. Quartò signum, quo intellectio est prior amore, &c. Suppono unde tertio: signum priùs nil esse aliud, quàm actum primum Causæ, seu causam in actu primo proximo: signum posterius nil proinde esse aliud, quàm effectum à Causa dependentem. Hinc signa ista non sunt instantia temporis, nec partes alicujus instantis; sed signum prius adæquatè identificatur cum Complexo ex virtute causæ, & prærequisitis ad causandum; signum autem posterius cum causalitate, & effectu.

60. Unde colligitur, distinctionem hujusmodi signorum, & prioritatem naturæ nec esse vanam speculationem, nec esse opus rationis, sed quid omnino reale: nam independenter à nostris conceptibus datur in eodem instanti dependentia effectus à causa, & independentia causæ ab effectu: datur etiam distinctio inter actum primum, & secundum, sive inter causam cum prærequisitis ad agendum, & effectum inde, & inde profluentem. Fateor, sæpe à nobis apprehendi prioritatem naturæ instar prioritatis temporis, & signa prius, & posterius considerari instar partium ejusdem instantis; qua de causa interdum appellantur instantia naturæ, & instantia rationis; sed aliud est apprehendere instar, aliud judicare, vel attribuere: apprehendimus enim Angelum instar alati Juvenis, nec tamen illi corporeitatem attribuimus.

61. Suppono quartò: quod hæc prioritas, & posterioritas naturæ proprie dicta solum convenit causis respectu effectuum, in quos influunt physicè, vel moraliter. Probatur ex Aristotele 5. metaphysicorum cap. 11. dicente: *illa esse naturà priora alijs, quæ ejusmodi sunt, ut sine alijs esse possint* (intellige) *ut causis, non autem sine illis alia.* Seu alijs terminis prioritas naturæ nil est aliud, quàm independentia non mutua unius ab alio tamquam à causa: similiter ex adverso posterioritas naturæ; sed istius prioritas & posterioritas solum convenit causis respectu effectuum, & effectibus respectu causarum: ergo prioritas, & posterioritas naturæ proprie dicta solum convenit causis, & effectibus. Ideo non invenitur in Processionibus Divinis, licet detur prioritas originis, non tamen naturæ: quia non datur ibi causalitas, nec dependentia proprie talis; quæ requirit distinctionem naturarum. Quamobrem naturaliter de materiali se habet prioritas temporis, licèt sæpe detur ex peculiari conditione plurium causarum.

62. Nihil enim prohibet ex terminis, causam esse vere causam, & non mutuo independentem ab effectu, quamvis illum producat in primo instanti, quo ipsa existit, atque adeô nihil prohibet, dari tunc quidquid requirit prioritas naturæ: sic Sol in primo instanti suæ existentiæ lucem produxit, Angelus intellectionem, & amorem. Suppono quintò: unionem humanam spectare ad signum posterius; cum sit terminus generationis saltim *quo*, & immediatus. Utrum autem anima rationalis sit prior naturà unione? Non est magni momenti apud defendentes unionem distinctam, si ista prioritas requiratur in subjecto meræ informationis saltem partiali. Nihil ergo (inquit Pater Lozada in physic. tractatu 1. disp. 6. cap. 5. num. 17.) „ *nihil* ergo prohibet unionem esse in materia, uti in subjecto „ informationis partiali, & sustentationis totali, simulque esse in„ forma, ut in alio partiali sub„ jecto informationis. Atque ita „ unio considerari potest, tū prout „ est causalitas formæ in compo„ situm, tum prout est quædam „ forma ipsius formæ, quacum con„ stituit quoddam totum, nempe „ denominationem actualiter in„ formantis materiam, cujus de„ nominationis ipsa unio est præ„ cipua differentia physica *distin„ ctiva.*

63. Itaque sive non adstruatur unio distincta, sive unio distincta entitative materialis respiciens animam rationalem velut terminum pure intrinsecum, vel ut subjectum saltem partiale informationis, sive solum sit prior, aut posterior in subsistendi consequentia, & tantum prioritate logica, sive actio generativa substantiæ sit distincta ab alteratione, sive non, & sive sit motus successivus, sive instantaneus, ut probat Aristoteles 5. Physicorum cap. 1. & 2. nihil prohibet, stan-

stando rerum naturis; quod anima rationalis creetur extra corpus ultimò organizatum, & quod in eodē instanti informetur illud ab anima.

64. Nec te deterreant contradictoria apparentia, quæ evenire possent, si in eodem instanti detur corpus cum anima, & sine anima, intelligatur rationale, & non rationale: nam *non*, & exclusio intelligitur tantum in signo præscisivo; ut tenet communis sententia defendens, materiam appetere appetitu desiderij formam pro instanti, quo illam habet. Et probant: quia pro signo priori intelligitur materia procurans formam, atque in eam tendens, ut sit, sive ut acquiratur, movetque Deum, ut formam tribuat & forma, quæ pro posteriori existit, existit ad exigentiam appetitus præsuppositi, à quo vagè infertur, vel causatur, vel physicè, si forma sit materialis, vel moraliter, si forma sit spiritualis; sed appetitus hujusmodi non est gaudij aut amoris stricti: ergo est desiderium. Nec obstat, quod in signo priori non detur absentia positiva formæ pro posteriori existentis, sufficit absentia præscisiva, sicut in eodem instanti, quo Justus desiderat augmentum gratiæ, ut Deo sit conjunctior, gratiam obtinet in præmium desiderij ipsius.

65. His ex Philosophis ferè ad litteram delibatis, perspicuum manet, nullam inferri violentiam naturæ in creatione animæ extra corpus ultimò organizatum, & ad exigentiam illius moventis Deum ad istam creationem in ipsomet instanti infundi, & evadere compositum. Tu verò oppones: quod licèt non inveniatur repugnantia, omnia hæc fieri in unico instanti, cum omnes defendant, hoc defacto semper evenire in omni productione sive physica, sive morali, & quidem in unico instanti, constanti tantummodo signis prioribus natura, naturaque posterioribus. At quod inintelligibile est, quomodò anima creata extra corpus localitèr, sive præsentialiter moveatur de loco, in quo creata est, ad corpus ipsum, cui unitur, & quod informat? Nam cùm hoc ex terminis indicet motum localem, infert pariter motum successivum de termino *à quo* ad terminum *ad quem*; quod in eodem instanti non posse saltim naturaliter evenire, videtur sanctum, & inconcussum apud Philosophos.

Ut hoc discutiamus, sit.

§. III.

An posit anima creata extra corpus in unico tantùm instanti, in quo creatur, naturaliter uniri corpori?

66. Licèt aliquis posset defendere, animā posse creari intra corpus, tantùm intra penetrative, & non informative, non producta in signo creationis animæ unicae, ut hancè va-

deret difficultatem, nō sequor hanc viam. Primò: quia tenebar satisfacere negantibus unionem distinctam, ponentibusque in sola simultate formæ & materiæ compositum. Secundò: cùm introducatur anima in corpus media unione, non poterat intelligi facilè forma in materia, sine unione, stando rerum naturis. Quamobrem ad explicandam nobis difficilem intellectu viam, semper judicantibus motus instantaneos instar succesivorum, accingor. Præcipuè cum motus conveniat etiam actioni instantaneæ. Suppono ergo primò: hìc nos non agere de motu locali corporum gravium, & levium: nam anima rationalis extra corpus creata, cùm non sit corpus, nequit moveri ut corpus; ideòque supersedemus gravioribus quæstionibus exagitatis à Physicis, ubi agunt de corpore naturali quatenus mobili, de istius motus proprietatibus, de velocitate, & tarditate, & de alijs verè arduis quæstionibus.

67. Suppono jam secundò: cum Eximio lib. 6. de anima. cap. 2. n. 8. animam separatam habere virtutem se movendi localiter. Primò: quia in corpore talem virtutem posſidet, corporique communicat: ergo & separata. Secundò: quia animæ rationales possunt sociatim vivere; hoc enim est proprium rationalium: ergo & possunt mutare loca; aliàs perpetuò starent in uno loco, quod est imperfectio. Tertiò: quia anima Christi descendit ad inferos; & animæ Justorum ascendunt ad Cœlos, qui est motus localis: quamvis enim dicatur Lucæ 16. quod Mendicus portatus sit ab Angelo in sinum Abrahæ, non negat propria virtute motum; sed hominis gratia ductum fuisse ab Angelo. Quod attinet ad damnatorum animas, deportantur in gehennam à dæmonibus, hoc est, quia inviti, & reluctantes deportentur.

68. Pergit Eximius: *alia* „ verò hic restabat quæstio, quomodo anima moveatur, transeundo nè ab extremo ad extremum sine medio? In instanti nè „ an in tempore? Sed quæstio communis est in Angelis, & ideò in „ suum locum *relinquenda*. Et in notis marginali mittit Lectorem ad lib. 4. de Angelis a cap. 18. Idem tenet Augustinus Laurentius in suo Tractatu de anima in fine. Igitur, qui motus naturalis localis fuerit in Angelo, ipse adscribendus est animæ separatæ, si quis super naturalis in Angelo, erit in anima miraculosus.

69. Suppono tertiò: in dicto cap. 18. Eximium defensare tamquam probabile rationibus ibi videndis, *posse Angelum transire ab uno loco ad distantem sine transitu per medium.* In cap. sequenti 19. judicat probabilius non posse; sed nō convictus rationibus, concludit his verbis: *quapropter, licet nostra sentententia efficaciter probetur, & prior probabiliter defendi posit, nihilominus prima &c*: ergo ex mente Eximij est probabile, posse Angelum transire

re ab uno loco ad distantem sine transitu per medium, ac per consequens, animam separatam, cùm ejus motus localis assimiletur motui locali Angelorum. Argumentis factis pro negativa satisfacit ñ. 2. & fatetur se pro affirmativa stare non ob rationes, sed ob conjecturas, & ut facilius percipiatur. Postea in cap. 21. super quæstione: utrum in instanti possit Angelus locum mutare? Respondet, posse acquirendo totum unum locum, & deserendo totum alium. Hanc assertionem vocat communē cum Alberto 13. disp. 37. art. 23. & 24. & alijs primis Doctoribus, & inter alias rationes hanc expendit n. 4. *mutatio*, quæ „ fit tota simul, fieri debet in „ instanti indivisibili, sed Ange„ lus, si vult, mutat totum locum „ simul: ergo per mutationem in„ divisibilem quoad successionem, „ idest simul totam factam: ergo „ in *instanti*. Sed cum in hoc capite solùm ageret de mutatione locali Angeli à loco in locum proximum, in cap. 22. agit: Utrum ad locum etiam remotum possit in uno instanti Angelus transire? Ubi hæc habet: *de loco* autem remoto „ superest aliqua controversia, quę „ dupliciter tractari potest. Pri„ mò: supponendo sententiam as„ serentem, posse Angelum tran„ sire ad distantem locum, non „ existendo in medio, & sic non est „ dubium, quin possit Angelus in „ instanti transire ad distantem lo„ cum, sicut potest ad propin„ quum: quia rationes factæ æquè „ procedunt, & quia medium ni„ hil impedit, juxta illam senten„ tiam, & periode reputatur, ac „ si *non esset.*

70. Difficultas ergo est: an contingendo medium, & extremum, posset nihilominus in instanti transire ab uno extremo ad extremum per medium. Et n. 4. inquit: *in* „ *hoc* ergo sensu est 1. opinio af„ firmans, posse Angelum in uno „ instanti transire ab extremo ad „ extremum per medium. Ita te„ net Albertus in 1. dist. 37. „ art. 23. Major dist. 2 quæst. „ 7. Gregorius dist. 6. q. 3. art. „ 2. Marsilius in 2. q. 7. art. 3. „ & Enricus quodlibeto 13. q. 7. „ fundamentum eorum est: quia „ Angelus mutatur ab extremo ad „ extremum per medium sine re„ sistentia medij: ergo mutari po„ test in instanti, si velit. Pro„ batur consequentia: quia simili „ ratione probat Philosophus 4. „ Physicorum, quod si corpus mo„ vetur per vacuum, movetur in „ *instanti.* Hactenus Eximius: unde vides unum legitimum discursum: anima separata movetur, sicut Angelus, atqui est probabile, Angelum naturaliter moveri in unico instanti ad locum etiam remotum: Tum quia probabile est, Angelum transire à loco ad locum remotum, ñ transeundo per medium: tum quia probabile est, transire in instanti, si transeat per medium: quia transit sine resistentia medij: ergo probabile est, animam separatam posse naturaliter in unico instanti

ereas

creari in loco remoto extra corpus, & in ipsomet instanti in corpus infundi. Videatur Eximius citatus, ubi plena manu dat fundamēta ad istas opiniones. Et cum negotium nostrum non sit defendere unam, vel alteram opinionem, sed stabilire, quod à nemine negatur, nempe, probabile esse tam ab extrinseco, quam ab intrinseco; posse hoc naturaliter in instanti evenire, quod conamur, peragimus.

71. Nec dicas: quod objicit sibi Eximius cap. 21. n. 5. Angelum tunc casus, nec in termino *à quo*, nec in termino *ad quem* mutari, sed in utriusque successione; quod sumitur ex Divo Thoma in 1. dist. 37. q. 4. art. 1. ad 3. & sequitur Capreolus: ad quod respondet: *Dixi* autem ibi non esse „ successionem in duratione, quia „ inter terminos dici potest esse „ quædam successio, quatenus ad „ acquisitionem unius amittitur „ alius; illa tamen in instanti fit, „ sicut inter generationem, & cor- „ ruptionem contingit: quia idem „ instans inceptionis unius termi- „ ni est primum non esse alterius; „ vel è contrario ultimò esse ter- „ mini *à quo* immediatè succedit „ acquisitio termini *ad quem*. Unde claret, quod ut intelligatur Angelus, & anima separata in loco, in quo creatur, & in loco ad quem transit, non requiruntur duo instantia temporis, sed sufficiunt duo instantia Angelica, & in anima rationali duo instantia quasi Angelica.

72. Audiatur iterum Eximius cap. 22. n. 10. ubi asserit „ juxta sententiam Divi Thomæ „ ac Thomistarum, posse Angelum „ plura loca successivè mutare, & „ per medium ad distantem transire „ in pluribus instantibus Angeli- „ cis: quia cum Angelus non fati- „ getur, aut laxetur in his mu- „ tationibus, & fiat hæc mutatio „ tota simul absque ulla resisten- „ tia, possitque simul dimittere „ totum locum A, & alium pro- „ pinquum simul totum acquirere, „ propter eandem rationem, potest „ per aliam mutationem similem „ ad tertium locum transire, & „ ab illo subito transire ad *quartum*. Unde sic probat: qualibet illarum mutationum fit tota simul: ergo fit in instanti. Numero 11. prope medium, ait, quod idem modus durationis, & successionis inveniri debet in operationibus indivisibilibus intellectus, & voluntatis Angelicæ, ac in mutationibus localibus; atqui Angelus intelligit, & vult in unico instanti temporis, & pluribus instantibus Angelicis: ergo etiam localiter movetur in unico instanti reali durationis.

73. Si autem dicas: hoc esse inintelligibile, audiatur iterum Eximius cap. 21. n. 3. cum Scoto quæst. 12 *quamvis* ergo secundum „ quendam naturæ ordinem dici „ potest, priùs naturâ occupare par- „ tem proximam, quàm remotam, „ non tamen priùs duratione: quia „ in eodem instanti, quo intrat „ priorem partem, quasi transit ad

„ aliam: quia nulla est repugnan„ tia; nec moræ necessitas. Quod „ rectè confirmatur exemplo ani„ mæ rationalis, quæ in generatio„ ne hominis simul incipit esse in „ corpore extenso, & in morte ho„ minis simul desinit totũ, & omnes „ partes, quas immediate ante „ illud instans informabat. Ita ergo „ cum proportione dicendum est „ de Angelo, & ita in hoc fun„ damento non discrepant Thomi„ stæ à cæteris Theologis, ut aper„ tè colligitur à D. Thoma dicta „ quæst. 53. art. 1. & 2. & in 1. „ dist. 37. q. 4. art. 2. igitur liquidum manet, esse probabile, animam creatam extra corpus in unico tantum instanti, in quo creatur, posse naturaliter uniri corpori. Roboratur ex illo Job cap. 21. ℣. 13. loquentis de peccatoribus: *ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Neque objicias illa verba Lucæ 16. ℣. 26. dicta ab Abraham. Diviti Epuloni: *& in his omnibus inter nos, & vos chaos magnum firmatum est: ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare.* Audi P. Joannem Maldonatum commentarijs in Lucam: *Chaos* Græcè Hia„ tus::: Quid autem hiatus ille es„ set, quæri solet. Plerique non „ loci intervallum, sed conditio„ nis immutabilem firmitatem sig„ nificari putant. Ita Ambrosius, „ & Augustinus, Chrysostomus, „ Beda, Theophylactus, & Euthy„ mius. Probabilis opinio: nam si „ quidem de loci distantia agere„ tur, nullus tam procul locus est, „ ex quo non posset anima, præ„ sertim, quæ spiritus est, ad lo„ cum, ubi dives erat, „ *permeare.*

SECTIO IV.

An Anima B. Virginis fuerit extra corpus creata?

§. I.

Probabile est, animam Virginis fuisse creatam extra corpus.

74. HActenùs probatà non repugnantià non modo supernaturali, imò nec naturali, gradum facimus ad stabiliendum, hoc ita evenisse de facto in mirabili Virginis Immaculata Conceptione. Propter quod; suppono primò: quod supposita fide, vel Ecclesiæ doctrina, sapientis est indagare modum ad veritatem illam declarandam congruentem, & concordem cum philosophia, Mathesi, vel alia qualibet scientia, aut arte, cum qua materia veritatis edoctæ connexionem, & dependentiam habet. Et hac methodo usi sunt hucusque Theologi Ecclesiâ ipsâ vehementer approbante, ita ut veritas inimpugnabilis, & firma maneat; sed totus

labor

labor Doctorum versetur circa illam scientificè declarandam.

75. Sic in Ineffabili Trinitatis arcano supposita veritate de communicabilitate Naturæ, & incommunicabilitate Personæ, ad hoc declarandum, & concordandum cum philosophia, excogitarunt alij distinctionem virtualem; alij cum sola distinctione in tertio; alij cum sola distinctione rationis; alij in quodam complexo perfectionis, & eminentia; alij cum distinctione formali ex natura rei declarant, & concordant Fidem cum Dialectica. Similiter, quia fide credimus, secundam Personam esse Filium, & non Tertiam, Theologia laborat in applicanda definitione Aristotelica, vel alia philosophica generationis viventium secundæ Personæ, & excludenda à Tertia. Et ille judicatur felicior, qui regulis communioribus, & planioribus explicat Ecclesiæ doctrinã. Similiter quia fide constat, Verbum assumpsisse naturam humanam, & non Personam, insudarunt Theologi, & Philosophi in assignando subsistentiæ constitutivo. Alij in negativo; alij in positivo, vel modali, vel absoluto, iste in individuatione naturæ, ille in unione constitutivum subsistentiæ collocarunt: ut philosophia deserviret claritati, & lumini fidei.

76. Quamobrem modò non disputamus, sed planè supponimus duas veritates; alteram de fide; fidei proximam alteram; nimirum, omnes descendentes ab Adamo ex naturali propagatione contrahere peccatum originale, & simul Beatissimam Virginem MARIAM descendere ab Adamo per naturalem propagationem. Alia veritas est, quod Beata Virgo non contraxit originale peccatum. Nec fuit intentio Concilij Tridentini illam comprehendere in universali regula de originali peccato contracto, ut constat ex ipso Concilio sess. 5. decreto de peccato originali. Igitur sicut Theologus ad salvanda contradictoria in Mysterio Trinitatis, Filiationem in Verbo, carentiam humanæ subsistentiæ in Christo, excogitavit modos consonos, & proportionatos se tenentes ex parte objectorum; sic debet laborari in collocanda Virginis præservatione à labe originali in aliquo physico, vel quoad modum, vel quoad substantiam, prout magis concors fuerit cum Philosophia, & Theologia; & illud judicatur magis consonum, in quo minus mirabile reperitur, ubi natura, vel parvam, vel nullam patitur violentiam; & ubi Deus mirabilior ostenditur, dum utitur ipsamet naturà ad opera excellentiora; præsertim si hic modus sit congruentior, & clarior enodando Mysterio. Hoc posito.

77. Sit nostra Conclusio, princepsque quæstio: *Supposita aliunde Conceptione intemeratæ Virginis in Gratia in primo suæ animationis instanti; de quo non disputamus, & nec directè, nec indi-*

directè admittimus argumentum, dicto audientes, & penitùs reverentes Pontificum decreta, & Sanctissimæ Inquisitionis mandata, solùm procedimus ad declarandam executionem via probabili, qua Immaculata Conceptio philosophicè, & theologicè evenit: ad modum quo dum quæstionem instituimus de distinctione virtuali in Ineffabili TRINITATE, non admittimus argumentum pertinens, nec directè, nec indirectè circa veritatem ipsius Mysterij, quam supponimus de fide, ita similiter, supposita aliunde veritate quamvis non de fide Mysterij Conceptionis, Asserimus: quod statim ac Corpus Virgineum fuit ultimò organizatum, fuit ad exigentiam naturalem corporis creata à Deo Anima B. Virginis (& tunc illi data vi decreti præservativi gratia sanctificans, quam supponimus Virgini in primo sui esse datam) creata, inquam, Anima ipsius Immaculatæ Virginis extra corpus, sed ita ut in ipsissimo instanti reali fuerit unita corpori proprio. Cùm verò fuerit creata extra corpus, congruum est, ut fuerit creata in Cælo Empyreo: qua conclusione intelliguntur clarè omnia dona gratiæ, & gloriæ (à quibus modò præscindimus) quæ Theologi ipsi Immaculatæ Virgini tribuunt: nam quāvis Deus possit ineffabilibus modis Virginem præservare, hic modus videtur connaturalior Philosophiæ, & Theologiæ. En Theorema Marianum, quod omnia dicta, & dicenda fortunatissimum tamquam sydus contemplantur; & felicissimum veluti ad scopum collimant.

78. Probatur per partes: non est miraculum, Deum creare animam rationalem ad exigentiam corporis humani ultimò organizati; cùm hoc omnibus cùm animabus hactenus exequutus fuerit; sed non est miraculum, quod hanc animā producat separatam, quia anima rationalis naturaliter existit à corpore separata: ergo ex parte animæ nullum intervenit miraculū. Sed nec ex parte corporis: tum quia est sufficienter præ complectum, vel à forma embrionis, vel à forma corporeitatis: tum quia est probabile apud aliquos, materiam posse naturaliter privari omni forma: tum quia non privatur animâ Virginis in aliquo instanti reali, cùm in eodem instanti, in quo eam exigit, informetur ab anima: ergo nec ex parte animæ, nec ex parte corporis intervenit ullum miraculum, sed solum quidam singularis modus intra sphæram propagationis naturalis physicæ Conceptionis. Sed nec intervenit miraculum ex parte unionis: cùm anima informet corpus in eodem instan-

instanti; in eodemque ipsissimo instanti producatur unio, si adstruatur distincta, vel detur simultas animæ, & corporis, si fuerit indistincta: ergo nec ex parte unionis requiritur miraculum.

79. Nec ex parte motus localis animæ separatæ à loco, in quo creatur, ad ipsum corpus: quia cùm anima separata moveatur localiter, sicut Angelus, si creetur proxima corpori, potest in unico instanti mutare locum; si creetur verò in loco & si distantissimo, poterit quoque in unico instanti transire à loco creationis ad locum informationis corporis. Tum quia est probabile, animam moveri à loco ad locum distantem sine transitu per medium: tum quia apud plures defendentes transitum per medium, facilè deducitur, posse fieri in unico instanti, cùm transeat sine ulla medij resistentia: igitur nec ex parte corporis, nec ex parte unionis, nec ratione loci, nec ratione motus, ullum intervenit miraculum probabiliter; & si aliquod intervenit, erit parvum, cùm non nisi levissimè violetur exigentia naturæ. Sed ille modus adstruendus est, qui est minùs supernaturalis, & magis naturalis: ergo iste modus propugnandus est.

80. Nec dicas: non posse aliquid defendi, & adstrui sine fundamento, quamvis aliunde probetur, posse evenire. Sed contrà: nam primum fundamentum est ipsum Mysterium; sicut non licet adstruere distinctionem virtualem, vel formalem ex natura rei in divinis absque fundamento, at si tu petis fundamentum, das pro fundamento ipsum Mysterium, quod te cogit ut Philosophum investigare modum naturæ conformem, & rationi; & ut Theologum explicare, & declarare divina, principijs sumptis à scientijs naturalibus. Quam ob causam fundamentum primum assertionis nostræ est ipsum Mysterium, quod nos cogit ad clariorem, & connaturaliorem modum investigandum, & propugnandum; sed hic modus videtur clarior, conformiorque naturæ: nam in primis, intelligitur, B. Virginem descendisse per naturalem propagationem ab Adamo, declaratur ejus naturalis filiatio ex SS. Parentibus, cùm assignetur terminus naturalis generationis, scilicet anima creata ad exigentiam corporis, & per consequens juxta intentionem agentis generantis, quod ex Angelico Thoma, priùs terminatur ad animam illam corpori uniendo, & Totum generando: quæ omnia in Conceptione Virginis ita explicata expediuntur: ergo.

81. Præterea: plana fit Virginis præservatio ab originali culpa: nam cùm hæc contrahatur media naturali generatione, dum hæc generatio unit animam corpori, quatenùs corpus, quod corrumpitur, agravat animam, vel hæc culpa originalis producatur physicè à morbida qualitate seminis, vel tantum moraliter contrahatur ab anima, quatenùs propagatur media ge-

neratione; ut non possit hoc corpus nec in linea efficienti, nec moraliter hoc peragere, quid connaturalius, quàm præsuponere in anima formam robustiorem, oppositam, & exclusivam, atque impeditivam transfusionis peccati? ergo intellecta anima in signo naturæ separata, antequàm uniatur corpori, præintelligitur Sanctificata in gratia; & ornata illà tamquam formà; ideòque dum intelligitur unita corpori, in ipsa unione relinquitur incapax generatio ad transfundendum, vel physicè, vel moraliter peccatum, cùm ad intelligentiam unionis præintelligatur forma, vel contraria, vel contradictoria peccati originalis.

§. II.

Fundamentum aliud.

82. Angelicus Doctor 3. p. q. 6. art. 4. & 5. agens de Christi Incarnatione. & de ordine assumptionis partium, ut fidem cum natura, & Theologiam conciliet cum Philosophia, distinguit ordinem temporis, & successionum ordinem, & quasi successionem naturæ, & planè defendit, ut videndus est Suarius in dictam 3. part. disp. 9. sect. 2. animam non priùs tempore fuisse unitam corpori, quàm Verbo; nec è converso, atque adeò nec priùs tempore extitisse, quàm fuerit unita Verbo: hæc ergo tria simul tempore facta sunt, creatio, seu existentia animæ, assumptio, & conjunctio cum corpore: fundatur, præter alia testimonia, in verbis Gregorij in Epistola ad Quirinum: *non priùs in utero Virginis caro concepta est, & postmodùm Divinitas venit in carnem.* In Concilio Ephesino 1. can. 13. qui sumptus est ex Epist. Cyrilli ad Nestorium, ubi dicit: *ideò Deum natum esse ex Virgine, & conceptum, quia in utero Virginis, & in ipsa conceptione hominis Deus carni unitus est.* In Sophronio ad 6. synodum, act. 11. *nam quantum in ictu oculi hanc, quàm illam priorem habentia: simul quippe caro, simul Dei Verbi caro, simul caro animata rationalis, simul Dei caro animata rationalis.*

83. Unde etiam defendit, adstructa duplici unione in Christo Domino, unionem animæ, & corporis in Christo non fuisse priùs tempore factam, quàm unionem totius humanitatis in Verbo. Unde in eodem momento incepit existere humanitas, quo fuit unio animæ, & corporis, & extitit unita Verbo. Idem Eximius asserit, corpus Christi humanum, non priùs fuisse conceptum, quàm assumptum, seu priùs assumptũ, quàm animæ unitum: quod probat authoritate Fulgentij lib. de Incarn. circa finem „*Nec* Caro sine Verbi Dei unione potuit aliquatenus, nullius „ viri coitu seminata, in intimo „ vulvæ Virginalis innasci. Non est „ igitur aliquod intervallum tem- „ poris existimandum inter con- „ ceptum Carnis initium, & con-

„ cipiendæ Majestatis *adventum*. „ Et roborat ratione: *nam* sine cau„ sa fingeretur aliqua præterna„ turalis mora, seu temporis di„ stantia inter perfectam disposi„ tionem carnis, & introductio„ nem *animæ.* Hoc stabilito de successione temporis, gradum facit ad ordinem naturæ.

84. Omissa opinione Durandi nullum ordinem naturæ in hac assumptione admittentis, sentit 1. Eximius: ordine intentionis unionem animæ ad corpus esse aliquomodò naturà priorem unione ejusdem ad Verbum. Sentit 2; in ordine executionis priùs naturà animam esse unitam Verbo, quàm corpori. Sentit 3. quod ordine intentionis prior est unio carnis ad animam, quàm ad Verbum. Sentit 4 quod ordine executionis caro est priùs unita Verbo, quàm animæ. Sentit 5. quod ordine intentionis anima priùs naturà sumpta est, quàm caro. Sentit 6 quod ordine executionis utraque pars potest dici priùs assumpta, quàm alia, in suo genere causæ; simpliciter tamen assumptio corporis videtur antecedere hoc ordine naturæ. Sentit 7. quod ordine intentionis tota humanitas fuit priùs naturà assumpta, quàm partes. Sentit 8. quod ordine executionis tam anima, quàm caro secundum se sunt priùs naturà assumptæ, quàm tota humanitas. Quas omnes conditiones mirificè explanat, deducit ex mente Angelici Doctoris, roborat authoritate, & convincit validioribus rationibus.

85. Quid ergo mirum, nos asseramus, minora his evenisse in Immaculata Virginis Conceptione in unico indivisibili instanti reali? Quod sic probo: cùm fide constet, Verbum factum esse hominem, & esse hominem sicut cæteros, ut componant Theologi cum fide naturam, & Philosophiam cum Theologia, ut stabiliant, Verbum assumpsisse humanitatem, cum illa que unum constituere per se, actiater defendunt, in unico indivisibili instanti reali accidisse Incarnationem; & ut componant clarè spectantia ad Mysterium, admittunt fundati in meliori Philosophia diversas prioritates, & posterioritates ordinis naturæ tam in intentione agentis, quàm in executione ordine operationis; plaudente Philosophia: ergo rectè procedimus ponentes Virgineum Corpus ultimò organizatum, & ad exigentiam illius creatam animam extra corpus, & in corpus introductam absque ulla temporis successione, & solum prioritatibus, & posterioritatibus naturæ, ita ut Virgineum Corpus esset naturà priùs in genere causæ moralis exigentis animam, & moventis Deum ad ipsius creationem, & anima naturà prior corpore in genere causæ formalis informativæ. Similiter corpus prius in executione, posterius in intentione agentium, è converso anima posterior in executione, & in intentione prior; in ordine verò gratiæ vi decreti intẽtivi præservantis Virginem, prior in executione anima, ut subjectum gra-

gratiæ; & corpus poſterius, ut non refunderet peccatum: igitur nulla apparet repugnantia in hac ſtabilienda harmonia, attentâ naturâ. Et dat fundamentum ipſa Eccleſiæ doctrina docens, omnes homines deſcendentes per naturalem propagationem ab Adamo peccatum originale contrahere, & ſimul non eſſe ſuæ intentionis in hac regula Immaculatam Deiparam comprehendere.

86. Declaratur: una ex majoribus difficultatibus Myſterij Incarnationis eſt explicare philoſophicè, quomodò anima Chriſti Domini, & etiam corpus non ſubſiſtant propriâ ſubſiſtentiâ: quod Suarez tom. 1. in 3. part. diſp. 17. ſect. 1. ſic declarat fundatus in Divo Thoma ſubſiſtentiam in aliquo poſitivo adſtruente. Exiſtimat ergo tamquam de fide certum, animam Chriſti Domini factam fuiſſe per creationem, ſicut animas cæterorum hominum, ut expreſſè, & elegantèr docet Hieronymus lib. 2. Apolog. 1. contra Rufinum circa pripcipium, Auguſtinus Epiſt. 99. & Leo Papa Epiſt. 11. quia ſicut illa anima eſt ejuſdem naturæ cum noſtra, ita habuit eandem naturalem originem, & productionis modum. Unde ſit: illam animam fuiſſe per ſe productam, & non tantùm comproductam cum tota natura: quia hoc eſt proprium materialis formæ. Pergit pro ſtabilienda ſua aſſertione, quod ordine executionis priùs naturà anima eſt unita Verbo, quàm corpori: quia anima humana naturà ſuà priùs naturà ſubſiſtit, quàm uniatur corpori: ergo in Chriſti humanitate priùs naturà aſſumpta eſt, quàm uniatur corpori. Creatio enim ex ſe, & ex naturà ſuà, ſicut poſtulat, ut fiat ex nullo ſubjecto, ita ex naturali ſua efficacia habet, ut ultimò terminetur ad rem ſubſiſtentem per ſe, niſi præveniatur; quod accidit in anima Chriſti, quæ per aſſumptionem prævenitur, & impeditur creatio, ne uſque ad ſubſiſtentiam perveniret; ad quod ſufficit ordo naturæ inter animam, & ſubſiſtentiam.

87. Qui ordo naturæ non petit ſtrictam rationem cauſæ, ſed ſufficit quædam ratio naturalis ordinis, quatenùs unus modus exiſtendi naturà ſupponitur alteri; ſicut enim in cauſa efficiente ſubſiſtentia ſupponitur ordine naturæ operationi, non quia ſit principium formale per ſe illius, ſed quia eſt connaturalis modus eſſendi ipſius principij, qui prior eſt in unaquaque re, & magis intrinſecus, quàm operatio, ita in anima rationali, quæ eſt perfectiſsima, quamvis ſubſiſtentia non ſit ratio informandi, tamen quia eſt modus connaturalis, & maximè intrinſecus ipſius animæ, præſupponitur ordine naturæ cauſalitati etiam formali ipſius animæ. Unde argumentor: magis intrinſeca eſt animæ ſubſiſtentia propria in genere phyſico, quàm eſt in linea morali originalis culpa naturaliter ab Adamo deſcendens; ſed potuit anima

Chriſ-

Christi impediri à potentiori forma à subsistentia propria creata: ergo potuit anima Virginis impediri ab originali labe, in quam lapsura erat, à potentiori gratia.

88. Urgetur: sicut subsistentia consequitur ad naturam, ita originale peccatum consequitur ad propagationem naturalem; imò magis consequitur subsistentia ad naturam, cùm sit in linea physica ex intentione agentium, quàm culpa ad naturam, cùm sit apud multos tantùm ex ordinatione Divina; sed potuit impediri anima Christi, ne in subsistẽtiam creatam erumperet: ergo potuit impediri anima Virginis à gratia, ne originali nævo fœdaretur. Roboratur: sicut est de fide, animam Christi subsistere per subsistentiam Divinam, ita supponitur pro certo, animam Virginis non contraxisse originale peccatum; sed ut concordetur Philosophia cum fide, adstruitur à Divo Thoma, & Suarez, in eodem instanti reali animam fuisse creatam, & Verbo unitam ante prioritate naturæ ad corporis unionem cum anima: ergo philosophicum erit stabilire, animam Virginis priùs naturà creatam in executione sanctificationis, quàm corpus, gratiaq́ sanctificante præventam contradictoriè, vel contrariè opposita peccato, ut corpus, vel semen humanum impediatur ad causalitatem peccati, sed hæc omnia non potuerunt evenire in Virgine, attento ordine philosophico, nisi adstruatur ejus Bma. anima creata extra corpus, & ipsissimo instanti reali introducta: ergo datur maximum fundamentum ad hoc adstruendum.

89. Confirmatur: nam si priùs naturà intelligatur anima ordine intentionis, si intelligitur intra corpus, intelligitur posteriùs in ordine executionis; sed intellectà animà pro posteriori in ordine executionis, intelligitur planè effectus seminis, vel physicus, vel moralis; qui est peccatum: ergo præintelligitur peccatum ad gratiam. Suadetur: dum exequitur anima, si exequatur intra corpus, intelligitur corpus in ordine executionis præcedens ad ipsam animæ informationem: ergo dum anima primò informat, subjacet fœditati corporis, cùm ejus principium essendi sit principium informandi: igitur ut impediatur corpus per formam contradictoriam, & retundatur ipsius vis, debet præintelligi anima, antequàm informet; sed non potest intelligi in ordine executionis, nisi intelligatur creata extra corpus: ergo ita debet præintelligi; cùm hæc omnia naturaliter componi possint in unico instanti reali cum diversis prioritatibus, & posterioritatibus naturæ. Concluditur: ordo providentiæ est eliminare peccatum per formam physicam contradicẽtem: ergo dum forma non expellit, sed præservat, debet præintelligi ad peccatum, & ejus causalitatem: ergo ut Virgo sit præservata per gratiam, debet præintelligi ejus anima ad informationem corporis, virulentamque peccati causalitatem.

Fund

§. III.
Fundamentum præcipuum.

90. SAnctus Joannes Damascenus Orat. 1. de Virginis MARIÆ nativitate circa principium hæc habet: *Etenim natura gratiæ cedit, ac tremula stat progredi non sustinens: quoniam futurum erat, ut Deigenitrix Virgo ex Anna oriretur, natura gratiæ fætum antevertere minimè ausa est: verùm tantisper expectavit, donec gratia fructum suum produxisset.* Quasi diceret: quoniam futurum erat, quod filia Annæ Deigenitrix esset, seu quod Deigenitrix Virgo per naturalem propagationem descenderet ab Adamo, ne ista contraheret in ipsa propagatione originalem labem, fecit Omnipotens, ut natura non anteverteret, sed expectaret gratiæ fructum, quo impeditâ naturâ in suo refundendo fructu, nempe peccato, conciperetur Immaculata Deigenitrix Virgo, & natura alioquin inimica conciperetur cum gratia. Ubi tria adverte: primò proponit Damascenus fundamentum tam mirificæ præservationis Virginis: Deinde fundamentum contractionis peccati originalis: Posteà docet modum, quo Deus satisfecit in Virgine, & naturæ, ita ut descenderet per naturalem propagationem ab Adamo, & originali maternæ immunitati faciens, ut gratia anteverteret naturam, scilicet corpus, non è contra, ut in cæteris hominibus, seu natura gratiam.

91. Fundamentum hujus singularis præservationis erat Maternitas Dei, qua adigebatur Omnipotens facere cum Matre, quantum poterat filius, & propter Deigenitricis puritatem, & propter Divinæ Prolis decorem, & nè diceretur ex terra maledicta genitus Deus, & Dominus omnium ex Matre aliquandò subdita Diabolo. Quid indecentius in Filia Patris, in Matre Filij, & in Spiritus Sancti Sponsa? Ut plena, & solida manu Scripturarij, & Theologi explanant. Et hoc innuit Damascenus illis verbis, quæ adducit pro motivo: *quoniam futurum erat, ut Deigenitrix, & Virgo;* sed huic Divinæ Benevolentiæ obstat peccatum primi Parentis descendens ex pacto, & immutabili lege Dei in omnes per naturales propagationes, ex quibus una erat Virgo MARIA: & hoc innuit prælaudatus Pater, dum dicit: *ex Anna oriretur.* Ut ergo decretum præservationis Marianæ componeret cum lege, & pacto descendentes homines premente, designat modum clarum, & mirificum excogitatum à Deo, nempe, ut vi decreti præservativi non corpus ex semine Adam anteverteret animam, ut fuit in cæteris hominibus, sed potiùs corpus tantisper expectaret, donec anima cum gratia crearetur à Deo, & priùs intelligeretur Sancta, quàm corpori sociata, & unita; priùs inimica pec-

peccato, quàm corporata, ac proinde impediretur corpus ad originalem maculam refundendam.

92. Unde vides, quod supra insinuavi, nempe, in intentione naturæ prior fuit anima Virginis, quàm corpus, at corpus prius in executione, & anima Virginea in executione posterior, utpotè creata ad corporis exigentiã; in intentione Dei sanctificantis prior fuit anima Virginis non solùm in intentione, sed etiam in executione, ut præintelligatur non solùm creata, sed etiam Sancta, & Sanctissima, antequàm intelligatur corpus cum aliqua receptione, vel operatione in ipsam animam. Vides 2. stare etiam Damascenum pro hac harmonia instantanea à nobis in conclusione posita: cùm plurimi Theologorum asserant, Virginis Conceptionem fuisse instantaneam, etiã loquendo de corporali organizatione, vel ob miraculum, vel absque miraculo, ut videre est in Paulo Zachias lib. 9. tit. 1. ubi pluribus argumentis, atque illis quidem efficacissimis probat, conceptionem omnem humanam esse instantaneam. Quod sic facilè probatur: ex Damasceno natura tantisper expectavit; atqui expectare tãtisper, est expectare per signum: ergo natura expectavit per signum, acproinde non antevertit per instans temporis anima corpus, sed tantùm corpus expectavit animam per signũ naturæ: ergo & expectatio corporis, & anteversio animæ, quæ in Virginis conceptione acciderunt, fuerunt in eodem instanti reali.

93. Declaratur ampliùs: gratia ex Damasceno non violentavit naturam, sed tantùm retudit ausus naturæ; sed si hoc non fecisset in unico instanti reali, poterat dici apud aliquos, violentasse naturam: ergo tota hæc victoria præservatrix accidit in unico instanti reali. Probatur ergo conclusio nostra: sicut per propagationem contrahitur tamquàm fœtus naturæ peccatum originale, ita est fructus gratiæ originale peccatum expellere; sed in B. Virgine non fuit originale peccatum: quia antequàm natura fœtum suum produxisset, produxit gratia fructum suum: ergo antequàm intelligeretur peccatum, præintellecta fuit in conceptione Virginea animæ Sanctitas; sed hoc evenit, quia natura non est ausa antevertere gratiam, sed tantisper expectavit præ reverentia, donec gratia fructum suum produxisset: ergo statim ac corpus Virgineum fuit ultimò organizatum, fuit ad exigentiam naturalem corporis creata à Deo in gratia anima Virginis extra corpus, sed ita ut in ipsissimo instanti fuerit unita corpori proprio.

94. Roboratur: Ecclesia tantùm favet authoritati Damasceni, ut illam in quibusdam festivitatibus Fidelibus proponat. Unde debemus accipere cum majori reverentia hanc peculiarem tanti Mariani Doctoris sententiam, & in sensu naturaliore, si absit inconveniens,

niens, illam intelligere; sed nullus sensus videtur connaturalior, & clarior, quàm nostra conclusio, & probamus, inconvenienti non subjacere: igitur Damascenus, & Ecclesia apertè favent assertioni nostræ. Declaratur ex doctrina de Lugo tract. de fide, disp. 20. sect. 3. n. 110. ubi refutans dicentes, Pontificem non habere assistentiam Spiritus Sancti, ut non erret, quando egredi vult extra suos limites, ut si vellet de quæstionibus philosophicis, aut medicis decernere, cū solùm promissa sit ei assistentia Divina circa veritates revelatas, sic loquitur toto num. 111.

95. „ *Respondetur*: idem argumentum fieri posse ad probandum, non habere summum Pontificem assistentiam Spiritus Sancti, ne erret in decretis universalibus circa mores: nam sæpè etiam honestas, vel inhonestas alicujus actus præcepti, & prohibiti non pendet solùm ex principio revelato, sed etiam ex aliquali principio Jurisprudentiæ, vel Philosophiæ moralis, quód lumine naturæ evidenter cognoscitur; ut quòd contractus aliquis sit, vel non sit usurarius, vel quòd aliquod matrimonium sit, vel non sit validum. Et tamen in his etiam decretis universalibus agnoscunt Theologi assistentiam infallibilem, ne Ecclesia decipi possit in ordine ad mores: quia Pontifex est in spiritualibus Pastor communis omnium fidelium, quem omnes tenentur audire, & cui debent obedire in his, quæ pertinent ad salutem.

96. Similiter ergo in censuris doctrinæ necessariæ, vel spectantis ad salutem, in quibus non minùs tenentur Fideles audire suum Pastorem, & Doctorem universalem, nec minùs ei obedire debent in amplectenda, vel cavenda doctrina, quam ipse eis præcipit, vel prohibet, credendum est, habere illum eandem assistentiā Spiritus Sancti, ne Fideles decipiat, etiamsi hujusmodi judicium dependeat ex parte à principijs lumine naturæ cognoscendis. Unde sicut dicere solent Theologi, Pontificem habere potestatem directam in res spirituales, indirectam verò saltim in res omnes tēporales, quando oportet de eis etiam disponere in ordine ad finem salutis spiritualis, cui tēporalia omnia debent subordinari, & deservire; sic dicendum est posse ipsum quasi potestate directa decernere doctrinas revelatas; quasi indirectè verò circa doctrinas naturales, & naturali lumine cognoscibiles, quando harum etiam cognitio deservit ad doctrinam salutis, & Theologicam stabiliendam, & *judicandam*. Hactenùs Lugo.

97. Unde sic argumentari licet: Sicut se habet Ecclesia in rebus fidei, ita proportionali modo in rebus circa fidem: ergo sicut non errat circa veritates philo-

losophicas, à quibus aliquatenùs pendet veritas revelata, ita authoritatem magnam confert, dum utitur, & se inclinat ad aliquod factum, & si philosophicum, deserviens tamen ad declarandum ipsius Ecclesiæ sensum; sed in primis Ecclesia docet, non esse suæ intentionis in decreto universali de originali peccato Immaculatā Virginem comprehendere, pariterque celebrat primum instans naturale Marianæ Conceptionis, utitur explicatione, & doctrina Damasceni de expectatione naturæ ad fructum gratiæ, qui modus physicus Conceptionis perspicuè declarat Deigenitricis primordialem originalis labis præservationem, quæ est assertio nostra: ergo Ecclesia videtur favere assertioni nostræ.

SECTIO V.

Argumenta contraria.

§ I.

Primum radicale argumentum.

98. Objicies 1. ex Suario, qui tom. 1. in 3. part. disp. 16. sect. 2. asserens, Animam Christi Domini non priùs tempore fuisse creatam, seu existentem, quàm corpori unitam, sic sequitur, & probat: „ *Hæc* conclusio „ est de fide primò, quia in ge„ nere de anima humana id de„ fide est, ut ex prima parte „ suppono, & eleganter probat „ contra Origenem Cyrillus lib. „ 1. in Joannem capit. 9. & Ni„ cephorus lib. 17. historiæ cap. „ 18. refert canonem 5. Sy„ nodi, ubi hoc expressè defini„ tur, non tantùm in genere, sed „ etiam specialiter de anima Chri„ sti, & in 6. Synodo, act. 11. ubi „ contra Eutichem sic ait: *arbitror* „ *enim, talia proloquentem hoc habere* „ *persuasum, quod anima, quam Sal-* „ *vator assumpsit, priùs in Cœlis sit* „ *commorata quàm de MARIA Vir-* „ *gine nasceretur, eamque sibi Verbum* „ *in utero copulaverit: sed hoc Catholi-* „ *cæ mentes, auresque non tolerant.* Et infra subdit: hunc errorem damnatum esse in Origene; & infra loquens de Christo, ait „ *non alte-* „ *rius tamen naturæ erat ejus caro,* „ *quàm nostra, nec alio illi, quàm cæ-* „ *teris hominibus, anima est inspira-* „ *ta principio.* Idem verò confir„ mat Damascenus lib. 4. de fi„ de cap. 6.

99. „ Ratio verò est, quam „ supra in littera Divi Thomæ ex„ plicuimus: quia anima, cùm sit „ forma corporis, naturâ suâ po„ stulat, ut in ipso corpore, & in„ formando illud incipiat, anima „ verò Christi fuit vera anima, „ & ejusdem rationis cum alijs „ animabus humanis: ergo naturâ „ suâ postulabat hunc modum in„ ceptionis. Asserere autem, ex „ speciali privilegio, & præter „ naturam fuisse anteà creatam, „ quàm corpori unitam, & sine „ fundamento dicitur, quia nulla „ est

„ est authoritas, aut probabilis ra-„ tio ad hoc asserendum; & hæ-„ reticum est, quia repugnat com-„ muni sensui, traditioni, & defi-„ nitioni Ecclesiæ, & modo lo-„ quendi Scripturæ, quæ eodem „ modo dicit, incepisse Christum, „ ut hominem in utero, & ex ute-„ ro Virginis, sicut alios *homines*: ergo asserere, animam Virginis priùs fuisse creatam, seu existentem, quàm unitam, est parùm tutum in fide. Distinguo consequens: asserere priùs prioritate temporis, concedo; prioritate tantùm naturæ, nego consequentiam.

100. Totus nisus Eximij Suarij est probare, & stabilire, non fuisse animam Christi Domini priùs tempore creatam, quàm corpori unitam; sed non excludit prioritatem naturæ: nam sicut ipsemet testatur, & defendit, priùs naturà subsistit anima Christi Domini subsistentiâ Divinâ, quàm corpori uniretur, quin istiusmodi assertioni ullomodo adversentur neq̃ Ecclesiæ definitiones, neque authoritates Patrum: igitur cùm nos tantùm asseramus prioritatem naturæ animæ creatæ in sanctitate respectu corporis, nihil facit contra nos, sicut nec contra ipsum loquentem de subsistentia faciunt authoritates. Et certè Sancti Patres loquuntur de præexistentia temporali animæ ad corpus, & contra dicentes, ut erant Pagani, animas peccasse in Cœlo; & contra omnes Origenis blasphemiam sequẽtes, quod animæ præexistebant, ac in pœnam peccatorum suorum in corpora demissæ sunt, ut emendatæ resipiscerent, easq́ oportere ampliùs non peccare. Similiter Origenes adjunxit blasphemiam de anima Christi existente unita Verbo, antequam carnem sumeret ex Virgine. Quod planè loquitur de temporali præexistentia, nam dicebant isti, animas præextitisse corporibus, simili more, ac post mortem operantur, cognoscunt, & intelligunt extra corpus. Quod est argumentum Patrum dicentiũ, quomodo animæ non recordantur de eis, quæ egerunt antè earum nativitatem? Et similiter loquebantur de anima Christi.

101. Et Cyrillus lib. 1. in Joannem cap. 9. totus est in refutando errore dicentium, animas fuisse creatas ante corpora in quodam statu Beatitudinis naturalis, & propter earum turpia desideria, & peccata, inclusas fuisse in corporibus, velut in speluncis, ac carceribus. Contra quos, inter alia, optimè opponit Cyrillus, quod fœmina non concipiet, donec anima aliqua peccet in Cœlo. Sexta Synodus act. 11. contra Nestorium, & alios docet de Christo: *simul quippe caro, simul Dei Verbi caro, simul caro animata rationalis, simul Dei Verbi caro animata rationalis.* Et infrà: *ex inviolabili namque, & Virginali Sanguine, atque Immaculatæ Virginis MARIÆ Verbum verè factum est incarnatum, & veraciter homo, & in utero Virgineo deportatus, ut tempus*

 ex-

explevit legitimi puerperij, & per singula naturalia, & peccatum non trahentia nobis hominibus similis factus. Unde vides, totam Ecclesiæ doctrinam nos ad unguem amplecti. 1. quia confitemur, animas omnium hominum creari in tempore, & non creari, nisi ad exigentiam naturæ, nempe generantis, & corporis ultimò organizati animam exigentis.

102. Hoc ipsum statuimus de Virgine, nimirum, quòd ejus anima fuit creata in tempore, & non creari, nisi ad exigentiam generantis Parentis, & corporis ultimò organizati. Discrimen, quod statuimus, est, quòd fuit creata extra corpus, sed ita, ut in singulari hac Conceptione nihil præjudicaretur naturæ, cùm ejus primum instans essendi fuerit etiam primum instans reale informandi: igitur nihil video, quo fidei dogmatibus citatis adversemur, & quod singulariter discurramus de illa, de qua dictum est *singulariter sum Ego, donec transeam*: Ps. 120. & de qua Aug. serm. 2. de Assump. *ineffabilis sanctificationis gratia, quantùm in corpore Virginis valuerit, illi solùm notum est, qui de ejus natura naturam suscepit.* Quæ appellatur à Tertuliano, *Cura Divini ingenij.* Quid mirum, dum *Sapientia ædificabat sibi domum* Prov. 91. excogitaret modum singularem, ut jaceret fundamenta ejus in montibus Sanctis? Quod ut clarescat, respondeamus Eximio dicenti, quòd asserere, ex speciali privilegio, & præter naturam animam Christi Domini fuisse anteà creatam, quàm corpori unitam, & sine fundamento dicitur, quia nulla est authoritas, aut probabalis ratio ad hoc asserendum, & hæreticum est; quia repugnat communi sensui, traditioni Ecclesiæ, & modo loquendi Scripturæ, quæ, eodem modo, dicit, incepisse Christum, ut hominem in utero, & ex utero Virginis, sicut alios homines.

103. Respondeo ergo; nos procedere tutos in fide, cùm animam Virginis defensemus creatam, sicut alios homines ex utero Matris, cùm ad exigentiam organizati seminis creata fuisset anima in utero, & cùm ejus primum instans creationis fuerit etiam primum instans informationis. Libentissimè fateor, animam Christi Domini fuisse creatam primò intra corpus, quia non datur fundamentum ad aliud stabiliendum. Quia ponere animam Christi tempore præexistentem ad corpus, ut volebant hæretici damnati à Synodo sexta, vel erat ponere animam subsistentem subsistentià creatà, atque adeò priùs esse Personam humanam, quod erat clarè dissonum Ecclesiæ; vel erat ponere animam Christi subsistentē subsistentià Verbi, & hoc erat fateri Christum quoad essentiam, virtutē, & formam existentem, antequàm conciperetur, quod non solùm in Theologia est hæreticum; sed absurdum maximum in Philosophia, ut per se patet. Dicere autem, animamChristi Domini fuisse creatam extra corpus, & in eodem instanti corpori unitam, est loqui sine fundamento.

104. Nam ideò hoc asseri:

rimus de Virgine, quia cùm descendat per naturalem propagationem ab Adamo, & concipiātur maculatì omnes ita descendentes, cogit nos ipsa Ecclesia originalem Virginis immunitatem celebrans, ut adstruamus modum connaturaliorem firmandi hoc in Virgine privilegium; & cùm sit speciale privilegium naturæ Virgineæ, quid mirum, fundetur in aliqua specialitate ipsiusmet Virgineæ naturæ? In Christo enim Domino habemus fundamenta de fide ad illum eximendum de originali labe: 1. Personalitatem, & Divinitatem Verbi: 2. quòd ordine executionis carne priùs unita Verbo, quàm animæ, unitur animæ corpus jam Divinum: 3. quia Christus non fuit Persona humana, sed Divina: 4. quia non descendit ab Adamo per naturalem propagationem, cùm conceptus sit ex Spiritu Sancto, & MARIA Virgine temporaliter, idem, qui ab æterno erat in splendoribus Sanctorum genitus. Ponimus in Christo specialia, ad quæ habemus fundamentum, Conceptionem instantaneam, etiamsi non sit in alijs hominibus naturalis, editum in lucem per penetrationem claustri Virginalis, & alia similia. At cum istæ sanctitatis radices, & præservationis non dentur in Virgine præter gratiam, qua fuit à Spiritu Sancto præservata, rectè ponimus hanc gratiam ita prævenientem, & præcedentem ad peccatum, ut anima Virginea, subjectum ejus, priùs sit extra corpus Sancta, quàm intra corpus inquinata: igitur adsunt pro nobis, & fundamenta Catholica, & vehementes rationes.

105. Dices adhuc: si nostra assertio non opponitur fidei, clarius erat defendere, Conceptionem Virginis accidisse in duplici instanti reali: ponere in primo animam Virginis creatam ad exigentiam corporis ultimò organizati, & in secundo instanti reali infusionem in corpus, & informationem, & sic evadere confusionem prioritatum, & posterioritatum naturæ, & inintelligibilitatem motus localis instantanei; ergo sic debet poni, ut clariùs procedamus. Nego planè antecedens: primò, quia hoc non est tam connaturale, & excedit aliquantò plus sphœram naturæ; quod fugere debet Theologus in componendis difficultatibus, quantumvis arduis.

106. Secundò, propter modum loquendi Alexandri Septimi in Bulla edita die octavo Decembris anni 1661. Pontificatus sui anno 7. quæ incipit: *Sollicitudo Ecclesiarum*: in §. 1. ita loquitur: *Sanè* „ vetus est Christi fidelium erga „ Beatam MARIAM Virginem „ Matrem pietas sentientium, ejus „ animam in primo instanti creationis, atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia, „ & privilegio intuitu meritorum „ Jesu-Christi ejus Filij humani „ generis Redemptoris, à macula „ peccati originalis præservatam „ *immunem*. Et §. 4. confirmat Constitutiones editas in favorem

sent

sententiæ asserentis, „ *animam* Beatissimam MARIÆ Virginis in „ sui creatione, & in corpus in„ fusione Spiritus Sancti gratia „ donatam, & à peccato originali „ præservatam *fuisse.* Unde liquidò claret, primum instans reale creationis animæ Virgineæ fuisse ipsissimum instans infusionis in corpus. Et cùm Pontifex Spiritu Sancto afflatus bis per distinctos terminos utatur vocibus *creationis,* atq; *infusionis in corpus,* dat nobis animum ad probabiliter asserendum, priùs naturà animam Virginis creatam extra corpus, & posteà naturà infusam in ipsomet Immaculatæ Conceptionis instanti.

§. II.

Alia argumenta.

107. OBjicies 1. duplex contradictorium nequit in eodem instanti reali nec Divinitus verificari; sed esse animam extra corpus dicit realem carentiam unionis, & esse intra corpus positivam unionem: ergo nequeunt verificari de anima Virginea in eodem instanti reali. Respondeo distinguendo minorem: esse extra formaliter dicit carentiam unionis, permitto, propter posteà dicenda; esse extra præscissivè, nego: nam præscindit ab unione, & ejus carentia. In signo quippe naturæ animæ informativæ solùm intelligitur constitutivum actus primi informandi, & cùm anima sit proximè æquè potens informare corpus, creata extra vel intra, præscindit in illo signo à creatione extra, vel intra, ac proinde tam ab unione, quàm à carentia physica unionis. Si enim informat, dabitur unio in illo instanti reali, & si non informat, dabitur carentia physica unionis, à quibus præscindit in primo signo.

108. Instabis: quamvis non intelligatur in signo naturæ ly *extra corpus,* tamen anima verè, & physicè est extra corpus; sed dum anima verè, & physicè est extrà corpus, datur physicè carentia unionis: ergo dabitur in illo instanti unio, & carentia unionis. Concessa majori, distinguo minorem: dum anima est extra corpus permanenter, & immobiliter, datur &c. concedo, dum est mobiliter, & transeunter, subdistinguo: si transiret de duratione in durationem, concedo propositionem, & nego suppositum; si transeat tantùm de loco in locum, nego.

109. Si dicas: anima Virginea ut producta à Deo involvit in signo naturæ posteriori respectù Dei causantis constitutivè esse extra corpus: quia intentum Dei animam causantis fuit creatio extra; sed quod constituit signum posterius naturà respectu Dei, debet constituere signum priùs respectu corporis informandi: ergo *extra* intelligitur in signo naturæ animæ informativæ. Distinguo majorem: fuit creatio extra mobiliter, & ut informaret intra corpus, concedo, per-

permanenter, & ut quieſceret extra, nego: diſtinguoque minorem: quod adæquatum, nego; quod inadæquatum, concedo. Sicut Angelus cum gratia conſtituit ſignum poſterius naturæ reſpectu Dei illũ creantis; & tamen gratia non conſtituit ſignum prius naturâ reſpectu operationis liberæ Angelicæ. Permiſi ſuperiorem majorem: quia apud defendentes unionem indiſtinctam à partibus ſimul ſumptis, non videtur implicare, quòd in eodem inſtanti reali ſit anima unita, & non unita: quia ſimultas non deficit tantùm per defectum abſolutum cujuslibet partis; ſed etiam per defectum reſpectivum, ſeu per ſeparationem unius partis ab alia, quæ fieri poteſt in uno inſtanti abſque contradictione, ſicut Angelus relinquens locum A, ut proximum B acquirat, quod omnibus judicatur accidere in inſtanti, verificat, eſſe ſeparatum, & non eſſe localiter ſeparatum à loco A; quin hinc ſequatur, vel carentia Angeli, vel loci, ſed tantummodò realis ſeparatio.

110. Idcirco, quando homo moritur (ſi unio ſit indiſtincta) poteſt in eodem inſtanti tranſire de vita ad mortem, & anima, de non ſeparata ad ſeparatam: quia tunc tantùm eſt tranſitus de loco in locum, quod accidere poteſt in inſtanti. Si verò ſit unio diſtincta, videtur, non poſſe tranſire in inſtanti de vita ad mortem: quia tunc eſſe intra corpus dicit poſitivâ unionem, & eſſe extra corpus permanẽter dicit carentiam poſitivâ unionis, quæ eſt carentia phyſica abſoluta entis poſitivi, & ſi modalis, ac proinde phyſicum contradictorium unionis. Si verò replices: quòd anima Virginea tardiús in iſto caſu intelligeretur unita corpori, ac ſi intra corpus ipſum crearetur. Tibi diſtinguam: tardiùs tarditate rationis cum fundamento in re, concedo; tarditate temporis, nego ſuppoſitum, quòd in inſtanti reali detur tarditas, cùm ſit indiviſibile punctum. Verùm eſt, quòd hæc Conceptio connotans unicum inſtans, dat fundamentum ad multiplicanda ſigna rationis, & ut concipiatur priùs ſignum extraneitatis, quàm intraneitatis, ſicut homo quoddam indiviſibile ætherogeneum dat fundamentum, ut concipiatur animal, vel formaliter, vel objectivè diſtinctum à rationali, quin ob hoc detur à parte rei diſtinctio plus quàm fundamentalis, certè non realis abſoluta. Iſta tarditas in informando eſt complexivè rationis, & tantùm fundamentaliter realis in hoc inſtanti, quod vocare poteris in phraſi Eximij loquentis de locali motu Angelorum; *inſtans ætherogeneum*. Inſuper hæc tarditas eſt, naturam expectare gratiæ fructum, quod eſt aſſumptum Damaſceni, & noſtrum. Præterea nunquàm intelligitur in ſigno priori naturæ carentia impedimenti auferibilis per actum ſecundum, ideòque præſcindit primum ſignũ animæ informativæ ab intra-

nei-

neitate; & ejus carentia per ipsam intraneitatem auferibili.

111. Objic. 2. hæc sunt côtradictoria: *omnes naturaliter propagati ab Adamo contrahunt peccatum originale; aliqua naturaliter propagata ab Adamo non contrahit peccatum originale*: ergo si Virgo MARIA fuit apud nos naturaliter propagata, etiam in sensu composito creationis animæ extra corpus, nostra sententia non explicat physicè Mysterium, quod subjacere relinquit contradictioni. Distinguo antecedens: sunt contradictoria, si eodẽ modo supponant termini in propositione affirmativa, ac negativa, concedo propositionem; & nego suppositum; si diversimodè supponant, nego. In prima quippe propositione supponit naturalis propagatio pro propagatione communi, in qua natura antevertit gratiam; in secunda supponit pro propagatione singulari, ubi gratia antevertit naturam; ideò secunda non negat, quod affirmat prima: quia cùm naturalis propagatio fiat duplici modo, communi, & singulari, ideò aliter loquitur secunda propositio, ac prima; & cùm ratio formalis contrahendi originale sit propagatio ab Adamo, variatio significationis in modo objectivo variat substantialiter negationem formalem.

112. Quarè prima propositio æquivalet huic: *omnes geniti ab Adamo contrahunt peccatum oreginale, quia sunt naturaliter propagati propagatione communi, ubi corpus inquinatum maculat animam, quam antevertit*; Sensus secundæ est: *Virgo non contrahit peccatum originale, quia singulariter propagata, corpus expectavit informationem animæ creatæ extra ipsum, & vi decreti præservativi creatæ in gratia*; quod tam longè abest à contradictione, ut optimè logicè concilieutur ambæ propositiones, cùm nec universalis affirmet, quod negat particularis, nec particularis neget, quod affirmat universalis. Explicaturque, Tridentinum non sibi adversari, dum post decretum universale de contractione originalis ab hominibus naturaliter ab Adamo propagatis, dicit, non esse suæ intentionis Immaculatam Virginem comprehendere: Sicut non est contradictio: *omnes descendentes ab Adamo sunt filij Adami; aliqua* (nempe Eva) *descendens ab Adamo non est filia Adami*: quia descendentia in prima propositione supponit pro descendentia communi, & per generationem, & in secunda pro descendentia singulari per factionem, vel ædificationem.

113. Objicies 3. stante hac conclusione, Conceptio B. Virginis fuit vel præternaturalis, vel miraculosa: ergo Sanctissima Anna non fuit Mater naturalis Virginis, nec Virgo naturaliter ab Adamo propagata; quod utrumque videtur absurdum. Distinguo ultimum consequens: non fuit naturaliter propagata, prout naturaliter contraponitur miraculoso, & supernaturali, nego; prout naturaliter contraponitur singulari, concedo. Sed nego, hanc singularitatem extraxisse Virgi-

neam Conceptionem à vero conceptu, & adæquato naturalitatis; cùm talis singularitas non sit contra naturam, sed tantùm præter ordinem communem naturæ: nec supra, cùm Deus operetur juxta exigentias rerum, & tantummodò operetur singulari modo. Ad modum quo licèt juxta communem methodum naturæ filij nascantur post novem decursos menses, non est contra naturam, quod aliqui nascantur post septem menses, neque ideò istorum nativitas desinit esse naturalis: quia singularitas hæc, non est contra, nec supra naturam, sed tantùm præter.

114. Nam sicut in ordine gratiæ notat Eximius lib 9. de gratia cap. 8. citatus à Godoy q. 109. tract 5. disp 45. § 2. num. 15 in ordine gratiæ vocat speciale privilegium non semper, quod est contra legem communem, sed etiam quod est supra legem, nimirum illud, quod ex communi lege non datur, non tamen est contra legem, quia nulla stat, quæ contradicat lex. Hoc simili modo discurrere possumus in ordine naturæ, potest aliquid speciale accidere contra communem exigentiam naturæ, & aliquid speciale præter exigentiam communem: quia quamvis non communiter accidat in natura, non datur in natura exigentia contraria illi specialitati, ut accidit in nostro casu. Verum est, quod communiter anima creatur intra corpus, sed non datur exigentia in natura, ut anima non creetur extra corpus, dummodò creetur ad exigentiam ipsius corporis, & ipsissimum instans creationis animæ sit instans reale informationis, ut late probavimus supra nixi probabilibus Philosophorum sententijs. Sicut in statu innocentiæ Homo naturaliter non moreretur, ac proinde naturaliter non separaretur anima à corpore nutrito fructu Ligni vitæ, ut patet ex 3. Gen. *Ne fortè mittat manum suam, & sumat etiam de Ligno vitæ & comedat, & vivat in æternum*; & in statu lapsus est quoque naturalis mors, & animæ separatio à corpore impedito nutriri fructu Ligni vitæ. Igitur quid mirum, quòd sit naturalis omnibus creatio animarum intra corpora ex deffectu Decreti præservativi, & quod vi ipsius Decreti sit etiam naturalis creatio animæ Virgineæ extra suum corpus? Ergo hominis naturali propagationi cur non poterit consociari naturalitas, fœlicitabilis cum creatione animæ intra corpus, & cum creatione extra corpus modo explicato? Quod ut melius percipias, inquiunt Theologi: an B. Virgo de facto physicè influxerit in unionem hypostaticam, & utrum talis influxus fuerit omnino necessarius, ut vera Dei Mater existeret? Defendentes hanc secundam partem, ut est Pater Barbianus controv. 1. disp. 1. & 2. Aranda, & plures Recentiores, tenentur respondere ad argumentum de naturali Maternitate Virginis respectu Christi. Im-

mo P. Muniessa disp. 1. de Incarnatione sect. 10. respondens ad argumenta contra suam conclusionem stabilientem unicam unionem supernaturalem, & hypostaticam in Christo Domino ad numerum 122. hæc habet.

115. „ *Nec* per inde sequi„ tur, quòd humanitas Christi non „ sit humanitas naturalis; est enim „ absolutè naturalis, utpotè com„ posita ex corpore, & anima na„ turalibus, quæ in rigore philo„ sophico sunt natura, & nihil „ aliud significatur directè per *hu„ manitas*, seu *natura humana*, quā„ vis obliquè consignificetur unio. „ Dici potest theologicè etiam lo„ quendo de naturali contraposi„ tè ad supernaturale, humanita„ tem Christi esse naturalem in „ entitate, & supernaturalē quoad „ modum, ut loquitur Oviedus „ controv. 6. de gratia, puncto 3. „ num. 17. quatenùs nempe mo„ dus, quo uniuntur ejus partes, „ in hac nostra sententia, super„ naturalis est: & seorsim etiam „ à nostra sententia, modus, quo „ producta fuit in utero Virginis, „ & modus, quo expoliata sub„ sistentiâ sibi connaturali sistit in „ alieno supposito, supernatura„ lis est.

116. „ Similiter nego, quòd „ perinde humanitas Christi non „ sit ejusdem speciei cum nostra: „ nam etiam in nobis, ut cum mul„ tis opinor, uniones singulorum „ hominum specie saltem logica „ differunt, quin perinde specie „ differant singulorum humanita„ tes. Quorum ratio est: quia hu„ manitates, seu naturas huma„ nas dici ejusdem speciei sumi„ tur à corpore, & anima, quæ „ natura sunt, & sunt in singu„ lis, & in Christo ejusdem spe„ ciei, quidquid sit de unione, „ quæ utique natura non est in „ phrasi Philosophorum, sed na„ turæ modus. Quod si ratione „ istius modi vellet aliquis re„ torquens rectum loquendi sty„ lum dicere, humanitates esse „ specie diversas secundumquid, „ nihil aliud dicet, nisi humani„ tates numero diversas includere „ modos specie diversos. Quid in„ de ad rem, & absolutum modum „ *loquendi?* Posteà num. 125. sic pergit.

117. „ *Objicitur 6.* quia se„ queretur, B. Virginem non esse „ Matrem naturalem: nam eate„ nùs fuit Mater, quatenùs pro„ duxit unionem humanam Chri„ sti; sed hanc, si identificatur cum „ hypostatica supernaturalissima, „ non produxisset naturaliter: *ergo*: Ad quod paucis intermissis, hæc habet: „ *in secundo* sensu admitto „ sequelam, ejusque probationem: „ sic enim Elisabetha non fuit Ma„ ter naturalis Baptistæ, sed mira„ culosa: nec sequela sic quid„ quàm redolet absurdi, quòd præ„ sertim sic loquatur D. Thomas „ quæst. 33. artic. 4. *Conceptio „ Christi debet dici simpliciter mi„ raculosa, & supernaturalis*: citat „ que Sanctum Dionysium dicen„ tem,

„ tem, MARIAM supernaturaliter concepisse; quo tendit quotidiana illa Virginis invocatio: „ *Mater admirabilis*: & ut cum Sancto Ildefonso loquar, *quid est, quod legem naturæ requirimus in MARIA, ubi totum, quod fuit in ea, possidet Spiritus Sanctus?* Sic „ etiam Bonaventura, Basilius, & „ *Gabriel*.

118. Ubi vides: quòd si Christus dicitur apud tantum Doctorem homo naturalis, etiam constatus unione intrinseca supernaturalissima, quia est tantùm modus, & non natura, quid novi est, esse naturalissimam Virginis Conceptionem, ubi anima humana, humanum corpus, unio naturalis intervenit? Non est enim miraculosum corpus instantaneè organizatum, apud plures; quia omnia corpora sic concipi defendunt, ut videre est apud Paulum Zachiam suprà citatum: nec miraculosa creatio animæ ad exigentiam corporis in eodem instanti informandi, ac per consequens nec actio creativa extra corpus: & quamvis hic modus creationis esset apud aliquem supernaturalis, adhuc Conceptio Virginea esset omnimodè naturalis, quia extrinsecè manet extra compositum humanum Virgineum. Non enim loquimur hìc de miraculo se tenente ex parte extrinsecæ causæ; sed de Conceptione passivè sumpta, seu de termino generationis, ut videtur confundere Munielsa.

119. Sic enim libenter concedam tibi, Annam, utpote sterilem, esse Matrem miraculosam Virginis, sicut fuit altera Anna Samuelis, & Elisabetha Baptistæ; sed intelligens, totum miraculum se habere ex parte Annæ, sicque esse Matrem aliquomodò miraculosam Virginis omnimodo intrinseco naturaliter Conceptæ, cōtra quod erat probandum, ut aliquā vim argumentum haberet. Nec ab Elisabetha fit paritas ad Virginem, nec per consequens ab Anna ad ipsam Virginem respectu Christi Domini: quia corpus Christi fuit conceptum ex MARIA Virgine, & Spiritu Sancto, non ex semine Viri; & in hoc sensu loquuntur Sancti Patres, non requirentes legem naturæ in MARIA concipiente Christum; quia hoc miraculum refunditur in ipsum Christi corpus, constituitque illud miraculosum, præter alia mirabilia, quæ reperiuntur in Christo: ut benè Divus Bernardus, *generationem Christi quis enarrabit? Nec similem mihi visa est, nec habere sequentem, gaudia Matris habens cum Virginitatis honore*: ergo Conceptio Virginea à nobis explicata manet omnino naturalis, quamvis non ordinaria methodo, sed singulari.

§. III.

Reliqua argumenta.

120. OBjicies 4. si per singularem generationem eximeretur descendens ab Adamo à peccato originali, menstruum humanum non contrahe-

ret originale peccatum; sed hoc est maximum absurdum: ergo generatio modo singulari non præservat à peccato originali. Roboratur: humanæ historiæ referunt ex fœmina, & masculo irrationali sæpe fuisse genitos homines, ut constat ex Nicolao Florentino serm. 6. tract. 10. cap. 25. & Ludovico Semollio lib. de naturalibus facultatibus referentibus, cùm fœmina concubuisse Ursum, ex quorum congressu natus fuit filius, vir strenuus, & probus, ex quo nobilissimum Italiæ genus fuit exortum; sed iste homo contraxit originale, non obstante ejus singularissima conceptione: ergo non obstat singularis conceptio ad vitationem originalis peccati. Urgetur: quamvis B. Virgo sit ita singulariter concepta, est ejus conceptio omnino naturali: ergo relinquit Virginem naturalem filiam Adami per naturalem propagationem: ergo difficultatem Mysterij relinquimus intactam.

121. Respondeo distinguẽdo majorem: si singularem per generationem singularitate consistente in eo, quòd antevertat corpus animam, nego; alia singularitate, concedo. Non ponimus præservationem Virginis in qualibet singularitate, sed in singularitate naturà suà aptissima, ut impediretur effectus carnis, quod est peccatum: sicut adstruentes distinctionem virtualem in Divinis solùm ponunt eam inter prædicata, quæ aliàs contradictionem involverent, ut concordent Philosophiam cum Mysterio, ita nos solùm ponimus hanc singularitatem, ubi per occursum formarum contrariarum intelligatur impeditus effectus corporis; quod est valdè Philosophiæ consonum. Nam sic ponitur in statu connaturalieri anima, ut vi Decreti præservativi ornata gratià impediat effectum corporis, & peccati: quælibet alia singularitas, quæ relinquat semen organicum expeditum, vel per modum causæ physicæ, aut moralis, vel per modum conditionis ad transfundendam originalem labem, est omnino impertinens ad rem præsentem.

122. Ad roboramentum respondet Godoy quæst. 81. de peccato originali tract. 4. disp. 36. § ultimo, num. 64. historias illas fabulosas esse, nec admittendas, ut pote cum principijs Philosophiæ, & fidei repugnantes: illis quidem, quia Pater generans debet esse causa principalis filij, & consequenter æquè perfectus cum illo; masculus autem irrationalis rationalem hominem in perfectione nequit exæquare. Repugnant etiam cùm Scriptura Sacra asserente *Deum ex uno omne genus humanum fecisse*, scilicet ex Adamo, & semine illius, ut exponit Glossa interlinealis ibidem. Et Augustinus lib 1. de anima, & ejus origine cap. 17: tales autem homines non essent ex Adamo tamquam ex activo principio. Deinde de fide est, omnes homines indigere redemptione per Christum, quod de illis sic natis ve-

verificari nequit: cùm originale peccatum non haberent, quod media generatione à semine activè concurrente traducitur. Unde quod asseritur, Italiæ genus ab Urso originem traxisse, non de urso irrationali bruto, sed de homine urso in aliquibus proprietatibus simili v. g. in ferocitate, aut cibi parcitate est intelligendum.

123. Ad urgentiam respondeo distinguendo antecedens: quāvis sit singularis, est naturalis communi naturalitate, nego; aliqua naturalitate, subdistinguo: ita ut sola hæc naturalitas sit causa præservationis peccati, nego; ita ut sit congruens fundamentum, ut intelligatur gratia antevertens inquinamentum naturæ, concedo. Volo dicere: ex eo præcisè, quòd anima Virginis fuisset creata extra corpus nudè sumpta sine ornamento gratiæ, non evaderet originale peccatum, cùm corpus expeditum evomeret suum effectum in animam non illi resistentem; ast cùm anima supponatur in gratia concepta, ut impediret peccatum naturæ, & explicemus hanc præservationem per formam physicam, debemus modo connaturaliori ponere gratiam præexistentem in anima Virginis tam in ordine intentionis, quàm in ordine executionis Dei præservantis, qui, licèt posit aliis modis, juxta morem suum operandi, creavit animam Virgineam extra corpus, ut natura tantisper expectaret, donec gratia fructum suum produxisset: nam sicut dum gratia physicè expellit peccatum, tam in ordine intentionis, quàm in ordine executionis intelligitur anima peccatrix, ita dum præservat, & impedit peccatum, ut accidit in Virgine, debet priùs intelligi anima justa, quàm corpus possit fructum peccati producere; sed hoc nullo clariori modo intelligitur, nisi priùs creata, quàm corporata intelligatur, & non potest intelligi priùs creata, quàm corporata, nisi intelligatur creata extra corpus: ergo ita debet intelligi.

124. Ad modum quo Theologi agentes de Incarnatione, sumpto fundamento à fide, dicunt, animam Christi ordine executionis priùs esse unitam Verbo, quàm corpori, & similiter carnem priùs unitam Verbo, quàm animæ, ut explicent, quomodò corpus, & anima Christi non eruperint in subsistentiam humanam, sive hæc consistat in modo positivo, sive negativo, seu carentiâ unionis ad illud: nam si Verbum non præsupponeretur existens ante animam, & corpus Christi Domini, & cogerentur adstruere simultaneam primam existentiam Verbi in eodem instanti reali creationis animæ, & informationis corporis, labor Theologorum consisteret in excogitando modo, quo darent Divino Verbo (nunc Æterno, in illa hypotesi temporali) præcedentiam naturæ in ordine executionis ad animam, & corpus Christi; sicut modò dant unioni ipsius Verbi cum anima, & corpore, non dùm intellectis unitis inter se, ut declarent,

rent, quomodò Verbum per sui physicam exhibitionem præservaret naturam ab humana subsistentia, in quam propriâ naturâ erumperet, nisi à validiori forma, vel quasi forma impediretur: quia non potest intelligi in ulla Philosophia effectus impeditus ab aliquo principio physico, quin præintelligatur tale principium ad effectum impeditum; aliàs effectus non esset impeditus, sed expulsus.

125. En nostram doctrinam circa Conceptionem Virgineam. Nos non dicimus, sufficere ad præservationem, Conceptionem Virgineam ita dispositam esse, ut anima Virginis creata extra corpus sit sufficiens fundamentum ad præservationem à peccato: quia quamvis anima ita crearetur, si crearetur sine gratia, in signo informationis macularetur peccato: cùm corpus humanum propagatum produceret suum effectum, nullo impediente; & hæc doctrina extendenda est ad quamlibet propagationem humanam, quamtumvis singularem, vel monstrosam, si intra sphæram naturæ adstruatur: nam semper ac verificetur animam creatã ad exigentiam seminis organizati descendentis ab Adamo infundi in corpus, intelligitur planè contractio originalis nævi; quod asserimus, est: quòd cùm Virgo præservata fuisset ab originali, non mediâ naturâ, sed gratiæ viribus, debuit intelligi hæc gratia, ac per consequens subjectum illius, anima Virginea præcedens naturâ ordine executionis ad subjectũ transfusivum peccati, nempe corpus.

126. Et cùm aliunde corpus debeat præsupponi ordine executionis priùs naturâ ad creationem animæ, utpotè istâ creatâ ad exigentiam illius, unicum credideram medium adstruere, animam Virgineam creatam extra corpus in gratia, & ita planè absque ulla contradictione percipitur Marianum corpus priùs formatum prioritate naturæ in ordine executionis, attentâ providentiâ naturæ, & anima posterior in ordine executionis ipsâ naturæ providentiâ attentâ; attento verò ordine gratiæ prior ordine executionis fuit anima Virginis, utpotè extra corpus sanctificata, & posteriùs infusa corpori, ita ut sanctificatio præcederet informationem, ac per consequens priùs intelligeretur Sancta, quàm informans, ac per consequens incapax contrahendi vi informationis peccatum. Et cùm hoc medium videatur planè philosophicum, cùm non repugnent prioritates, & posterioritates ejusdem de eodem in diversis lineis, & per diversos respectus, hoc medium eligimus ad intelligentiam Mysterij.

127. Argumenta convinicentia, quæ congerit Divus Thomas lib. 2. contra Gentiles capit. 83. non faciunt contra nos: nam ibi loquitur contra Gentes defendentes animas creatas ab æterno, & contra Origenem, & alios Platonicis doctrinis imbutos, eas cùm Mundo creatas propugnantes: & etiam

etiam contra Manichæos pro transmigratione Platonica nomen dantes, quos Angelicus Magister doctissimè refutat armatus philosophicis principijs, ut videre est in toto cap. 83. Nos autem cùm ponamus animam Virgineam creatam ad corporis exigentiam juxta totam intentionem generantis, & naturæ, suàque naturâ corpus exigens animam, & animam exigentem unionem cum corpore in ipso instanti reali exequendam, in nullum incidimus absurdum ponderatum à Divo Thoma: facimus unum per se individuum humanum genitum; & animam propriâ naturâ motam, propriâ exigentiâ, propria inclinatione ad informandum suum corpus; sicut in morte hominis ipsa anima propriâ naturâ defectu corporei temperamenti ita exigente relinquit in unico instanti reali, & egreditur extra corpus.


128. Duo demum advertas, velim: primum sit, quod etiam apud defendentes præsentiam in modo superaddito distincto à re, & loco (nam apud ponentes præsentiam vel in actione productiva, vel in simultate rei, & loci, perspicua procedit assertio nostra) non datur ulla contradictio in instantaneo motu, nempe præsentia A v. g. & defectus positivus ipsius præsentię A per productionem novi modi: nam cùm præsentia sit determinatio, ut res sit in uno loco potiùs quàm in alio, potes dividere præsentiam in præsentiam *quietam*, & in præsentiam *transitivam mobilem*. Prima est determinatio, ut res præsens quiescat in uno loco. Secunda est determinatio, ut res præsentietur mobiliter per plura loca, qui modus, cùm recipiatur in re se movente, non perit; donêc ipsa res incipit quiescere in aliquo loco; aliàs non posset variari locus in instanti, & multiplicatis instantibus pro multiplicatione locorum, non posset Angelus descendere de Cœlo naturaliter nisi per plurimos annos. Secundò adverte, quod nos non defendimus, Virginem evasisse originale, *quia proximè, & formaliter* fuerit ejus anima singulariter primò creata extra corpus, sed *quia remotè, & connaturaliter*, quatenùs gratia, quæ fuit ratio formalis præservationis postulabat singularem istam creationem, ut connaturaliori modo præexpelleret originalem labem.

129. Alijs argumentis supersedeo; quia non faciunt directè contra nostram assertionem, vel eorum solutio facilè infertur ex dictis scholastico lumine perfuso. Nam argumenta physica contra privationem naturalem formæ in materia, contra instantaneam generationem, contra motum localem instantaneum spirituum, impugnant directàs opiniones, & respondentur à suis Patronis locis allegatis, non verò impugnant probabilitatem ipsarum opinionum, cùm sibimet ipsi adversantes nec possint, nec audeant rationabiliter negare probabilitatem opinionum, quas

ima-

impugnant; cùmque nos defendamus conclusionem nostram evenisse posse, nullo miraculo interveniente apud plures Authores, parvo admodum miraculo apud aliquos, & apud omnes probabiliter sine ullo miraculo; manus damus omnibus, & rectè procedimus ostendendo, Deum æquè valdè mirabilem in præservatione Virginea extitisse, & in modo, quo nullâ, vel parvâ factâ violentiâ naturæ, hæc ausa non est antevertere gratiæ fructum, sed tantisper expectavit, donec gratia ipsa triumphatrix fructum suum mirificæ præservationis produxisset.












TRA-




DISPUTATIO SECUNDA De theologica Immaculatæ Virginis Conceptione.

SECTIO I.

De peccato originali.

§. I.

An sit, & quid originale peccatum?

130. Enendum est contra hæreticos, & Judæos negantes peccatum originale, Parvulos descendentes ex Adamo non solùm peccati pœnam, sed etiam culpam, & peccatum contrahere. Probatur primò ex Psalmo 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea;* quod, ut notat Divus Thomas contra Gentes cap. 50. non loquitur de peccato actuali Parentum, cùm de legitimo matrimonio natus sit David, ideòque Patres de originali peccato, ac plurimorum peccatorum radice textum intelligunt. Secundò, ex cap. 14. Job illis verbis: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, non ne tu, qui solus es?* Ubi Septuaginta vertunt: *Nemo mundus á sorde, nec infans unius diei super terram;* quod de sorde spirituali intelligitur à Patribus. Clariùs Apostolus ad Romanos 5. *Per unum hominem peccatum introivit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors intravit, in quo omnes peccaverunt.* Accedunt definitiones Conciliorum; Palestini, cujus meminit Augustinus Epist. 106. Melibitani cap. 2. Toletani 6. can. 7. Arausic. 2. can. 2. ac denique Tridentini Sessione 5. de peccato originali, decreto de ipso. Consonant Ecclesiæ Patres, Hieronymus in Ezechiel.

47. & lib. 2. cōtra Jovinianum; Gregorius, lib. 2 Moralium, & in lib. 1. Regum, Ambrosius in Apologia David cap. 11. Bernardus in feria 4. H b lom. Sanctæ; Chrysostomus in Epistola ad Neophitos; Nacianzenus oratione 3. de pace, Dionysius lib. de Ecclesiast. Hyerarch. Cyprianus lib. 3. Epist. 8. Hi omnes, & alii veritatem propositam, ut Catholicam uno ore proclamant.

131. Tenendum est secundò: peccatum originale esse verè, & propriè peccatum, dicente Tridentino Sessione 5. de peccato originali, canone 5. *Si quis per Jesu Christi Domini gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram, & propriam rationem peccati habet, sed illud dicit tantùm radi, aut non imputari, anathema sit.* Et hæc sufficiant ad stabiliendam veritatem peccati originalis, omissis argumentis Hæreticorum videndis apud Illustrissimum Godoy, & Bellarminum, aliosque Primarios Doctores de hoc puncto tractantes. Quarè tenendum est 3. essentiam peccati originalis, missis erroribus, diversimodè adstrui apud Scholasticos Catholicos: & relicta modò opinione Alberti Pigij controvers. 1. de peccato originali, & Catherini opusc. de casu hominis, qui essentiam peccati originalis, contendebant, consistere in actuali peccato Adami prout extrinsecè parvulos peccatores denominante: unde colligebant non multiplex, sed unum numerò in parvulis omnibus esse originale peccatum; super quo legatur Godoy tomo 3. quæst 81. tract. 4. disput. 36. §. 2. numero 10.

132. Alij citati ab ipso, numero 19. ponunt essentiam peccati originalis in actuali Adami peccato præterito, & nunquam condonato, non ut tribuente denominationem peccantis, sed habitualiter peccatoris ratione existentiæ moralis, quam habet, dum à Deo non condonatur. Tertia sententia dixit: originale consistere in concupiscentia conjuncta cum reatu ad pœnam: pro hac citat Salas tract. 3. disp. 11. sect. 2. Rophensem, & Durandum: pro hac extitisse Augustinum, sentit Vasquez disp. 131. cap. 3. Bellarminus lib. 5. de amissione gratiæ, cap. 7.

133. Quarta sententia propugnat, originale consistere in privatione gratiæ, seu justitiæ originalis, est Gravissimorum Authorum apud Granados tract. 8. disp. 3. sect. 1. eam tenet Suarez disp. 9. de peccatis, sect. 2. Vasquez suprà, cap. 8. & claré Anselmus lib. de conceptu Virginis cap 26. *Hoc peccatum, quod originale dico, aliud intelligere nequeo in infantibus, nisi ipsam, quam suprà posui, factam per inobedientiam Adæ jacturam justitiæ debitæ nuditatem.* Quamvis in explicanda Justitia originali variant Doctores, Quinta sententia defendit, peccatum originale consistere in peccato Adæ, quod po-

steri commiserunt cum Adamo, moraliter perseverante, hoc est, peccato commisso à posteris in Adamo, & non condonato posteris, nec intrinsecè, nec extrinsecè.

134. Quarè perseverat moraliter illa macula, vi cujus Filij iræ sunt posteri; non secùs ac si modò elicerent tale peccatum; ita Lugo de Incarnatione disp. 9. sect. 3. Granados disp. 3. sect. 1. Oviedo num. 67. & plures alij, immo Tertullianus libro de anima, cap. 40. dicens: *omnis anima eò usque in Adam censetur, donec in Christo recensetur.* An verò ut nostræ voluntates essent constitutæ in voluntate Adami, sufficeret, quod procederemus ab Adamo? Affirmat Soto libro de natura, & gratia cap. 1. Basilius Legionensis relect. 3. Perea in Genesi cap. 16. Pro sententia dicente, non sufficere posterorum propagationem ab Adamo, sed necessarium omnino fuisse pactum, citantur reliqui ab Oviedo num. 36. An verò necessarium fuerit, hoc pactum fuisse notum Adæ, ut esset caput morale, rursus dubitant Authores apud ipsum Oviedo num. 45. Alijs videtur non fuisse necessarium, sed sufficere absolutum Dominiū Dei, immo & sufficeret, etiam si Adamus nollet admittere pactum.

135. Supponit hìc Salmeron, Toletus, Bellarminus, & Suarez disp. 4. sect. 9. contra Durandum, Mayron, & Vasquez 1. 2. disp 131. cap. 3. voluntates parvulorum defacto constitutas fuisse in voluntate Adami in ordine ad observationem, & transgressionem præcepti. ex quo factum est, quod parvuli moraliter elicerent actionem peccaminosam, dum Adamus physicè elicuit. Hoc constat ex Augustino cap. 10. de meritis, & remissione: *In quo omnes peccaverunt, in quo omnes unus homo fuerunt.* Basilius Homil. 1. de Lau. jejunij: *Quia non jejunavimus in primo Parente, ideò exulamus à Paradiso.* Quæ Authoritates prægrande fundamentum habent ex illo loquendi modo Apostoli ad Romanos 5. *In quo omnes prævaricati sumus.*

136. Prætereà suppon. tamquam fide certum, Adamum ante lapsum gratiam justificantem habuisse ex Conc. Araus. 2. Can. 19. & Tridentino sess. 5. dicente: *Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cùm mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem, & justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, anathema sit:* ergo Adam ante peccatum fuit sine controversia Sanctus, & Justus. Sed cùm dubitetur, an fuerit creatus in gratia, cùm Concilia solùm doceant, ante peccatum justum extitisse, probabilius credimus cum Divo Thoma 1. part. quæst. 95. art. 1. & Alberto Magno in 2. dist. 24. art. 1. Adam fuisse justificatum in eodem instanti, in quo fuit creatus. Probatur primò ex verbis illis: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram;* juxta expositionem Patrum hìc per imaginem intellectualis naturæ, per

similitudinem sanctificatio gratiæ intelliguntur. Secundò ex textu Eccles. 7. allegato ab Angelico Doctore quæst. 95. & 60. *Deus fecit hominem rectum*, & rectus simpliciter intelligitur Justus juxta illud Cant. 1. *Recti diligunt te.*

137. An autem justitia originalis fuerit speciale donum, sive habitus specialis distinctus à gratia, & voluntati inhærens, cujus munus esset facere, ut homo adhæreret Deo, suo fini naturali, non solùm faciliter, & delectabiliter, sed etiam cum majori intensione, & delectatione, quàm appetitus sensitivus suo objecto delectabili? Affirmat Scotus in 2. dist. 29. quæst. unica §. *potest dici.* Secunda sententia est Henrici Quodlibeto 6. q. 11. ponentis justitiam originalem in quadam rectitudine naturali separabili à voluntate. Tertia sententia est Soti lib. 1. de natura, & gratia cap. 5. qui justitiam originalem indistinctam à gratia gratum faciente defendit. Quarta est sententia Cajetani quæst. 95. art. 1. & Durandi in 2. distin. 20. q. 5. asserentium, justitiam originalem fuisse donum distinctum à gratia, in illa fundatum, & radicatum; cum quibus ferè convenit Alensis in 2. quæst. 91. Bonavent. in 2. dist. 27. art. 2. quæst. 2. Marc. in 2. quæst. 16. art. 6. & alij. Ultima sententia verissima judicata ab Eximio de anima lib. 3. cap. 2. num. 4. ponit justitiam originalem in collectione habituum, & beneficiorum Dei, gratiæ, virtutum moralium, intellectualium, & actualium auxiliorum, pluriumque donorum extrinsecorum.

§. II.

De subjecto, causa efficiente, et transfusione peccati originalis.

138. Circa subjectum, in quo recipitur originale peccatum, varias invenio sententias: 1. est Scoti in 2. disp. 32. quæstione unica asserentis, immediatè recipi solùm in voluntate, Scotum sequitur Vasquez disp. 133. cap. 4. in fine. 2. est Durandi in idem 2. disp. 31. quæst. 3. affirmantis, recipi in voluntate, & appetitu immediatè. 3. sententia affirmat, peccatum originale, quoad essentiam solùm recipi in anima, prout distinguitur à potentijs, quoad effectus verò derivatos ab ipso etiam in potentijs recipi. Hanc tenet Curiel art. 2. hujus quæstionis, dubio unico, & Mag. Mart. in præsenti quæstione art. 2 dubio 1. 4. sententia, quæ est Divi Thomæ quæst. 4. de malo artic. 4. in 2. dist. 31. quæst. 2. articul. 1. & in præsenti quæst. 2. articul. 2. defendit, originale priùs immediatiùs recipi in anima, quàm in potentijs. Sequuntur omnes ejus discipuli, probantque hac ratione: culpa originalis contrahitur media generatione; at generatio priùs terminatur ad animam, illam corpori uniendo, quàm ad potentias, quæ consequuntur illam;

illam: ergo peccatum originale priùs recipitur in essentia animæ, quàm in potentijs, casu quo hæ ab anima distinguantur.

139. Circa causam efficientem tenet major pars Theologorum, non fuisse peccatum Adami causam physicam transfusionis originalis culpæ. Ita Godoy: quia peccatum Adæ non poterat esse causa physica transfusionis peccati ex natura sua, cùm sit actus immanens in suo tantùm subjecto, nec hoc habet ex elevatione Dei, aliàs tribueretur Deo talis transfusio, quod absonum est; nec hoc habet ex vi pacti, quia ratione pacti non fuit immutatus physicè ille actus; sed tantùm moraliter: ergo peccatum Adami non fuit causa physica transfusionis originalis. Nec dicas, peccatum Adami physicam produxisse qualitatem in semen, per quam elevaretur, ut instrumentaliter influeret in peccatum descendentium.

140. Contrà enim; nam agens principale solùm potest virtualiter existere in aliquo, quod vel est virtus illius ex natura sua, vel in illo aliquid causat, ratione cujus ei subordinatur, & fit instrumentum illius; sed semen ex natura sua non est virtus peccati Adami, sed solius humanæ naturæ: ergo in semine nihil physicum ex peccato Adæ derivatur. Præterea: quia illud physicum existens in semine non est qualitas morbida permanenter existens, ut voluerunt Gregorius, & Ricardus in 2. dist. 31. Henriquez Quodlibeto 1. quæst. 21. & Almay, in moralibus tract. 13. cap. 19. nam si qualitas hæc esset permanens, tot annorum circulis physicè perseverasset in semine; sed hoc intelligi nequit absque speciali concursu Dei: ergo istius conservatio tribueretur particulariter Deo, illam particulari influxu conservanti; quod sonat absurdum, & nefas: ergo non est qualitas permanens: Nec illud superadditum potest esse qualitas transiens: ergo non datur talis qualitas morbida.

141. Probant antecedens: qualitas transiens non datur sine causa efficiente; sed peccatum Adæ, quod est causa efficiens, modò non datur physicè: ergo nec illa qualitas physica transiens. Et supposito, quòd peccatum actuale Adami fuit causa demeritoria, non peccati originalis nostri sumpti formaliter, benè tamen aliorum, quæ in nobis obtinent rationem pœnæ, ut clarè docet Angelicus Thomas in 2. disp. 20. quæst. 2. art. 3. ad 3. per hæc verba: *Ad tertium dicendum, quod peccatum non transit in Posteros à primo Parente per modum demeriti, quasi ipse omnibus mortem meruerit, & infectionem peccati; sed per modum traductionis consequentis traductionem naturæ: non enim unius personæ actus toti naturæ mereri, vel demereri potest, nisi limites humanæ naturæ transcendat, ut patet in Christo, qui Deus, & homo est; unde à Christo nascimur Filij gratiæ, non per carnis traductionem, sed per meritum*

actionis; ab Adamo verò nascimur filij iræ per propagationem, non per demeritum. Hactenùs Angelicus Doctor.

141. Ubi clarè docet, peccatum Adami, quatenùs præcisè personale Adæ non meruisse nobis pœnas, sed quatenùs fuit Adæ ut capitis moralis, nos meruisse in Adamo tales pœnas; sed non derivari in nos ex Adamo per modum demeriti, sed per modum traductionis naturæ, quatenùs hæc moralitas sequatur propagationem; quam ob causam non videtur requiri aliquid in linea efficientis peccatum originale, cùm sit mera entitas moralis intrinseca parvulis. Et adstruentes morbidam physicam qualitatem in semine instrumentaliter concurrente ad peccatum, fortasse tantùm intelligunt conditionem, concursumque in linea morali ita ut tota vis hujus qualitatis stet in eo, quod illà positâ anima, cui unitur, maneat obnoxia, & peccato originali, & pœnis ab ipso derivatis: nisi defendant, peccatum originale in physica entitate positiva consistere, ut refert Godoy suprà citatus §. 3. num. 16. aliquos defensasse: qui pro opinione sua sic argumentatur: 1. nam semen instrumentaliter concurrit ad peccati originalis transfusionem; non moraliter: ergo physicè, præsertim cùm Majorem credant esse doctrinam Divi Thomæ quæst. 83. art. 1. in corpore, quæst. 4. de malo art. 1. in solutione ad 3. ad 9. ad 15. ad 16. & in præsenti quæst. art. 1. in responsione ad 3. Cajetanus enervat hoc fundamentum. Angelicus quippè Doctor solùm docet, semen concurrere instrumentaliter ad traductionem culpæ originalis, non per se, sed cócomitanter, etiam hæc est intentio D. Thomæ: quia peccatum originale non sequitur ad naturam productam in virtute seminis tamquam ad fundamentum exercens aliquam causalitatem in ipsum peccatum, sed solùm sequitur ad illud tamquam ad subjectum *in quo.*

143. Instant Adversarij: ergo saltem secundariò semen attingit instrumentaliter traductionem peccati originalis, & consequenter assignari debet aliqua causa principalis, quæ primariò ad illam concurrat: facile respondent; quod ut semen, primariò attingens traductionē naturæ, secūdariò attingeret traductionē culpæ novæ, necesse erat, quod exerceret aliquam causalitatē physicam in peccatum, quod est impugnatum; & ab ipsis arguentibus minimè probatur. Replicant adhuc, quod ita videtur semen concomitanter solùm ad traductionem originalis concurrere, ac perinde non indigere aliqua intentionali virtute, ratione cujus in se virtualiter contineat tale peccatum; sed D. Thomas locis allegatis agnoscit aliquam virtutem in semine saltem intentionaliter in agente, ratione cujus contineat peccatum: ergo quia non concomitanter; sed instrumentaliter physicè ad originalem labem concurrere, defendit Angelicus Præceptor:

Ad

144. Ad quod respondent; loqui D. Thomam de virtute quadam morali orta non ex natura rei, sed tantùm ex ordinatione divina: vult dicere; benè posset Deus disponere, attentis rerum naturis, peccatum contrahi ex capite Adamo, absque eo, quod in semine producente naturam præexisteret aliqua corruptio, immo posset membrum ex capite trahere absque eo, quod in illo physicè contineretur; cæterum quia de facto illi soli contrahunt originale peccatum ex Adamo, qui in ipso præexistunt secundum seminalem virtutem, ita soli illi trahunt ex ipso peccatum, qui medio semine justitia originali destituto ex ipso descendunt: unde in tantum semen concurrit ad originale peccatum, in quantum voluit Deus, fuisse fundamentum, & viam traductionis originalis peccati; quod non probat, nisi conditionem, & moralem concursum. Idcircò juxta D. Thomæ doctrinam non contractu-rum peccatum originale ex vi præsentis decreti illum, qui generaretur ab aliquo, qui justitia originali polleret.

145. Arguunt adhuc principaliter; peccans mediante suo peccato est causa physica productiva termini physici, & realis, quo mediante manet habitualiter conversus ad creaturam, ut ad ultimum finem; at peccante Adamo, nos in illo eodem actuali peccato peccavimus: ergo sicut in Adamo mediante illo actuali peccato fuit productus physicè terminus physicus, & realis, quo habitualiter remansit aversus à Deo, ita illo mediante producitur physicè in nobis in instanti, quo concipimur, physicus terminus, medio quo manemus aversi habitualiter à Deo. Ad quod respondent: quòd tunc peccans est causa physica productiva termini, quando physicè elicit peccatum; at cùm nos moraliter tantùm juncti peccato Adami, tantùm moraliter peccarimus, non potest ad nos aliquid physicum physicè inhærens traducere; peccatum quippe Adami est quid physicum in esse entitativo, & personali Adami, non verò in esse capitalis: nam ut esset physicè capitale, debebat physicè continere voluntates membrorum.

146. Objiciunt quoque: & si gratia habitualis Christi Domini sit quid physicum in esse personalis, & quid tantùm morale in esse capitalis, tamen influit in nos gratiam, & cætera dona per physicum influxum: ergo pariter Adami peccatum. Respōdent, quod hoc evenit, non quia gratia Christi Domini sit forma physica; sed quia physicè elevatur per auxilium actuale: quia cùm sit ejusdem speciei cum nostra, nequit ratione suæ entitatis influere gratiam in nos. Nunc sic: peccatum actuale Adami est ejusdem speciei cum personali quoad physicam entitatem: ergo nequit ex vi propriæ entitatis influere physicè in alias: ergo ut instrumentaliter influeret,

requirebat causam elevantem; assignent, inquiunt Adversarij, cùm Deus nequeat esse causa elevans ad peccandum, causam illam elevantem Adæ peccatum ad influendum physicè in peccatum Posterorum?

147. Hic solet etiam disputari: an peccatum Adami fuisset capitale, non quia tale, sed quia primum? Volunt dicere, an ita sit essentialiter annexum peccato primo Adami esse capitale, ut secundum, vel tertium Adami peccatum non esset capitale, vel an potuerit Adam aliquod perpetrare peccatum, ante quàm peccaret peccato capitali? Fuisse capitale, quia primum, videtur expressa sententia D. Thomæ in 2. dist. 33. his verbis: *Ad secundum dicendum, quod hoc est per accidens, quod tale nocumentum naturæ humanæ intulit: quia scilicet fuit primum peccatum, quod naturam humanam vitiavit.* Et quidē eò ipsò, quod Adamus primò peccaret, amitteret dignitatem capitis in ordine ad transfundendam justitiam originalem in Posteros: nā quomodò Adamus carens justitia originali esset causa transfusionis justitiæ? Hoc indecens est. Contrariam defendunt Alexan. Ales, & Cath. Opus. de peccato originali, Salm. in Epist. ad Romanos. circa finem. Montesi disp. 11. q. 7. num. 94. & alij hoc unico argumento ducti: solum peccatum capitale potuit ad posteros derivari: nam erat capitale, non quia Adami, sed ex vi pacti, quo fuit constitutus caput morale suæ posteritatis; at pactum solùm fuit cum Adamo initum in ordine ad impletionem, aut transgressionem præcepti, ut patet ex illo: *In quacumque die comederis ex illo, morte morieris*: ergo pactum in illa contentum illius præcepti transgressionem designat. Sed ad hæc, & alia respondet Godoy. quæst. 81. tract. 4. disp. 35. § 5. apud ipsum videnda.

§. III.

Illationes ex dictis.

148. Ex his dictis infertur 1. nullum aliud peccatum Protoparentis præter primum, nec peccata proximorum Parentum derivari ad posteros per originem. Ita D. Thomas, & communiter omnes Theologi ratione tradita ab Angelico in corpore, art. 2. nam illud peccatum solùm derivatur ad posteros, quod fuit capitale, illud nempe, quod corrupit naturam, illamque spoliavit dono communi Adamo per se, & pro tota sua posteritate commisso; sed solum primum peccatum Adami istum præstitit effectum per privationem justitiæ originalis, donorumq illi justitiæ debitorum, cùm cætera peccata, sive ipsius Adami, sive aliorum Parentum, illam supponant destructam: ergo solùm primum Adami peccatum fuit capitale. Quarè in Scripturis uni Adamo tribuitur peccatum originale

ex

ex illo Pauli ad Roman. 5. *Unius delicto multi mortui sunt, & per inobedientiam unius peccatores constituti sunt multi.*

149. Inferes undè secundò: quod si Adamo non peccante, peccaret Cain, filij ejus non contraherent originalem labem. Ita Medina, & Sumel in præsenti quæst. art. 5. Vasquez disp. 133. cap. 3. num. 10. Montes. disp. 11. quæst. 6. num. 106. contra Scotum in 2. disp. 32. quæst. 1. ad argumenta tertiæ opinionis. Probatur illatum: peccatum Cain etiam in tali casu non foret capitale, sed merè personale; atqui peccatum, quod capitale non est, non derivatur ad posteros: ergo. Nec D. Thomas, quæst. 5. de malo art. 4. nobis opponitur, dum asserit, quòd si aliquis ex posteris Adami peccaret, ipso non peccante, moreretur quidem propter suum peccatum actuale, sicut Adamus mortuus est; posteri autem morerentur propter peccatum originale: nam D. Thomas loquitur, non ex vi legis modò statutæ, sed secundum aliam legem fortè tunc statuendam, quod contra communem sententiam non est: & si dicas, eodem modo explicari posse Scoti sententiam, libenter annuam.

150. Inferes tertiò: quod si Adamus peccasset post filios jam genitos, isti jam nati non contraherent culpam originalem. Probatur: nam & si potuisset caput constitui, etiam respectu illorum, qui jam extra causas existerent, quando ipse peccaret, de facto tamen non fuit constitutus caput morale, nisi respectu illorum, qui in ejus lumbis continebantur, quando ipse peccavit, ut ex August. & alijs colligitur: ergo ad jam natos non transiret peccatum. Inferes 4. quod si Eva peccasset, Adamo non peccante, non contraherent filij peccatum originale. Suadet hoc Ang. Thomas art. 5. istius quæst. nam peccatum originale ab illo contrahitur; quia activè movet ad generationem natorum; atqui activè concurrere solùm convenit Adamo: ergo ab illo solùm peccatum originale traducitur. Et si dicas cum Vasquez disp. citata capite 3. num. 9. fœminam juxta aliquos Medicos etiam activè ad generationem concurrere, responderi poterit, habere nos firmius fundamentum Scripturarum soli Adamo originale peccatum attribuentium, & quod Adamus constitutus sit caput generis humani, & etiam mulieris.

151. Et si dicas, peccatum Evæ inadæquatè concurrere, seu simul, & collectivè cum peccato viri fuisse adæquatam causam traductionis originalis. Contra dicimus: quia dicerentur Posteri peccasse in Eva, sicut dicuntur peccasse in Adamo, quod nullibi in Scripturis reperitur. Tu verò opponis illa Ecclesiast. verba cap. 25. *A Muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur:* ergo mors, & culpa non solùm per Adamum, sed etiam per Evam intravit

vit in Mundum. Secundò: præceptum de non comedendo, & comminatio mortis non solùm Adamo, sed etiam Evæ fuerunt imposita; sed ex illo præcepto, & comminatione infertur pactum Dei cum Adamo, quo fuit constitutus caput morale: ergo etiam Eva fuit simul cum Adamo morale caput generis humani. Tertiò: Anselmus libro de conceptu Virginis, cap. 9. inquit: *cùm dicitur, Adam esse causam nostri peccati originalis, utriusque copula intelligitur, sumpta denominatione à principaliori sexu.* Et insuper addit, *quod Eva peccante, si Adamus non peccaret, posset Deus formare aliam mulierem, ut ex muliere peccatrice filij non nascerentur*: ergo sensit, tunc ab utroque derivari peccatum, & etiam, quod si Eva peccaret, non peccante Adamo nascerentur posteri peccatores, si Deus non formaret aliam mulierem.

152. Respondeo, quod respondent negantes, fœminam traducere originale peccatum cum Divo Thoma 1. ad Corinthios, solutione 3. & 4. distinctione 1. art. 2. ad 1. distinguendo authoritat. mulier initium factum est peccati occasionaliter, concedunt; originaliter, negant. Nec replices, ita posse intelligi text. Divi Pauli loquentis de Adamo: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum.* Negant: quia CC. & PP. illa verba intelligunt de ingressu per originem, dicente ipso Paulo: *In quo omnes peccaverunt.* Ad 2. respondet: præceptum impositum fuisse Adamo, & Evæ, diversimodè tamen, Evæ tamquam singulari Personæ, Adamo verò tamquam capiti naturæ. Ad Anselmum respondet Vasquez, fuisse Sanctum Doctorem in contraria sententia disp. citata, cap. 3. num. 10. sed Montesin. disp. 11. quæst. 10. n. 157. explicat Anselmum non de causa mali originalis, sed de partiali causa generationis naturalis; media qua ut conditione, filij solius viri culpam contrahunt. Ad id quod addit Anselmus de alia muliere formanda, Eva peccante, non loquitur de necessitate, ita ut non possent filij justi de matre peccatrice nasci, sed propter decentiam.

153. Huic doctrinæ videtur contradicere Frater Benedictus Feijoô Mag. Primar. Ovet. Academ. in Theatro Critico idiomate hispano edito tom. 6. Paradoxa 14. ubi defendit, baptizandum esse sub conditione fœtum ex fœmina humana, & masculo irrationali. Fundatur in eo, quod generatio humana fit ex ovo, sicut prolificatio avium, ut aliqui cum Gabriele Falopio defendunt, adhibitâ sententiâ de concursu activo fœminæ in fœtum; ac proinde ex his duabus opinionibus infert probabiliter, fœminam determinare speciem individui. Sed miror, Virum sapientissimum silentio præterisse hanc theologicam quæstionem fundamentum resolutionis suæ. Ideòque videtur durior sententia. Primò propter dicta, disp. 1. num.

153. Secundò: quia hic modus opinandi non est consonus Doctrinæ Angelici Præceptoris, ut videre est in quæstione 4 de peccato originali, art. 7. ubi: *ad quartum dicendum, quod filij, qui nascerentur ex Adam, ipso non peccante, & Eva peccante, non contraherent, quia originale peccatum contrahitur per virtutem moventem ad naturam humanam, quæ est in semine maris secundum Philosophum.*

154. Tertiò: quia ex ipso Angelico Thoma in eodem art. 7. ad 6. *dicendum, quod ex hoc quod Christus fuit conceptus ex Virgine sine viri semine, habuit, quod non contraheret originale peccatum.* Et si crederetur vera opinio istius Doctoris, diceretur, quod Christus ex vi generationis Virginis, præscisim à Divinitate, esset obnoxius peccato originali. Si verò defendat, corpus Christi non ex semine Virgineo, sed ex sanguine cordis, vel alterius partis fuisse formatum, ideòque evasisse ex vi generationis sine originali, docente D. Thoma in hoc articulo 5. ad 3. *dicendum, quod peccatum originale non pertinet ad naturam humanam absolutè, sed secundum, quod derivatur ab Adam per viam seminalem*; ideòque Angelicus ipse defendit, quod si aliquis homo formaretur ex digito, & carne alterius hominis, non contraheret originale.

155. Ast hoc effugium incidit in alia absurda. Primum sit ad hominem, quod Christus non fuit genitus ex ovo fœcunditatis, ac proinde malè parificaret Author concursum Virginis in generationem cum concursu activo aliarum fœminarum. Secundum: quia Christus non diceretur proprietate naturali, sed quadam analogia filius Virginis, cùm non esset genitus ex semine, sed factus ex alia parte Virginea. Tertium: quia restringendus est sensus Scripturarum vocantium Christum ex semine David, benedictionem omnium gētium in Christo tamquam in semine Abraham; promittentium semen David in æternum mansurum. Et littera Genesis 3. ℣. 15. dicentis: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & inter semen tuum, & semen illius.* Nisi censeas, quod sanguis, & sperma tantùm differant accidentaliter penes majorem, vel minorem decoctionem, ut docet insignis Anotomicus Andreas Laurentius lib. 2 anotomiæ cap. 14. & sic excitatus à Spiritu Sancto è corde Mariano sanguis efflueret perfectè decoctus ad matricem aptus ad generationem; in quo nihil absurdi invenio. Si fortè dicat aliquis, talem fœtum esse quidem humanum sed non contrahere originale, & ob hoc egere baptismate tantùm ad characterem, & primam gratiam, videtur inauditum Theologis. Cùm baptisma sit Sacramentum mortuorum, & illud monstrum non esset sanativè redemptum. Profectò illud docuit Egreg. Doctor ad praxim moralem, ubi aliqua probabilitas auxiliata extrema necessitate movent ad con-

ferendum Sacramentum adeò necessarium sub conditione, ut & saluti animæ consulatur, & reverentia Sacramento servetur. Aliud fortassè diceret Scholastico more;

SECTIO II.

De principalioribus modis excogitatis à Theologis ad declarãdam Virginis præservationem à peccato originali.

§. I.

Assumptum theologorum super hoc puncto explanatur.

156. CUM ipsa Purissima Virgo Maria repleta Spiritu Sancto, & gravida humanato Verbo prædiceret *Beatam me dicent omnes generationes*, ab ipsis incunabulis Ecclesiæ, primùm Apostoli, deinde SS. PP. ac Theologi certatim illam extollentes ad hunc scopum collimarunt, ut fundamentum tantæ magnitudinis nempe gratiam, & puritatem prorsus declararent; ut ejus adeò, præservationem agnoverint per septemdecim sæcula, quæ lapsa sunt à Christo nato, ut eruditè probat, Pater Ferdinandus Quirini de Salazar in cap. 47. argument. 12. suæ defensionis pro Immaculata Deiparæ Conceptione, usque ad sæculum præteritum, ex quo tempore usque ad nostram ætatem, incredibile est, quantum Theologi insudarint in explananda, & confirmanda Virginis primordiali puritate.

157. Fundati in modo loquendi Scripturarum, Conciliorũ, & Patrum: nam Augustinus cap. 37. de natura, & gratia excipit Virginem à quavis generali regula agente de peccato, his verbis: *excepta Beatissima Virgine, de qua, cum de peccatis agimus, nullam prorsus habere volo mentionem.* Patres septimæ Synodi, act. 3. dicentes: *Maria immaculata, & omni naturà sensibili, & intellectuali purior.* S. Thomas de Villanova, Sermone 20. de Nativitate Virginis docet: *Mariæ nihil gratiæ, aut perfectionis, aut gloriæ, quã animus in pura creatura concipere potest; deficere.* Supra omnes Anselmus secutus à Divo Thoma, & omnibus Theologis de Concep. Virg. cap. 18. ita scribit: *decuit Virginem ea puritate nitere, qua major sub Deo nequeat intelligi.* Quibus omnibus consonat Concilium Trident. sess. 5. decreto de peccato originali, declarans, non esse suæ intentionis, in universali definitione peccati originalis Immaculatam Virginem comprehendere. Secuti sunt Pontifices moderni, semper faventes opinioni de primaria Virginis immunitate.

158. Tantis stimulis adacti Theologi Catholici, datis velis ingenio in hoc mari magno gra-

gratiarum, invenerunt tantam puritatem in Virgine, ut supponentes pro certo, primò Virginem non contraxisse de facto originale peccatum; secundò, aliquod verum debitum, obnoxietatem, seu periculum incurrendi peccatum contraxisse, cùm sit verè redempta, & præservata ex meritis Christi Domini; festinant speculari, quodnam debitum Immaculata contraxerit; distinguunt enim more suo debitum, seu periculum, in proximum, & remotum; debitum proximum contrahendi originale communiter consistere dicunt in peccasse in Adam; ideò reliqui posteri contraxerunt hoc debitum: quia per *peccasse in Adam* imminebat illis contractio peccati originalis, cùm nisi speciali gratia prævenirentur in primo instanti animationis, conciperentur maculati, & in peccato.

159. Debitum remotum consistere dicunt in inclusione in pacto: quia debitum remotum, est periculum, & obnoxietas cadendi in debitum proximum; sed inclusio in pacto est periculum, & obnoxietas cadendi in debitum proximum, quia est indifferentia ad peccatum Adæ, ut capitis, & ad peccandum in Adam, quod est debitum proximum contrahendi originale: ergo.

160. *Per* debitum remotum „ (inquit P. Joannes Marin tract. „ 17. disp. 7. sect. 3. num. 27.) „ communiter intelligitur pactum „ cum Adam. Perlin. suprà, & Arã„ da suprà, sect. 2. dicunt hoc „ non esse propriè debitum: ideòq „ B. Virginem non habuisse de„ bitum remotum contrahendi ori„ ginale: cùm tamen Eximius Sua„ rius tom. 2. disp. 3. sect. 2. di„ cat, sine errore dici non posse „ B. Virginem non fuisse obno„ xiam peccato; satius videtur di„ cere, hoc esse debitum remotum, „ non proximè remotum, ut ita „ loquar, sed remotè remotum.

161. „ Ratio est: quia pa„ ctum cum Adamo erat obnoxie„ tas, & contingentia inclusionis in „ pacto respectu totius naturæ hu„ manæ descendentis ab Adamo „ per seminalem propagationem; „ sed inclusio in pacto est debi„ tum remotum contrahendi ori„ ginale: ergo pactum cum Adam „ est debitum remotè remotum „ contrahendi originale. Major est „ vera: quia tota natura humana „ sic descendens ab Adamo in„ clusa est in pacto, & include„ retur B. Virgo, nisi ex meritis „ Christi præservaretur. Quod pa„ ctum non sit debitum proximè „ remotum, probatur: non est de„ bitum proximè remotum id, in„ ter quod, & debitum proximum „ mediat aliud debitum remotum; „ sed inter pactum, & inter pec„ care Adam, quod est debitum „ proximum, mediat inclusio in „ pacto, quæ est debitum remo„ tum contrahendi originale: ergo „ pactum non est debitum proxi„ mè *remotum*. Concludit iste Doctor datis anteà suis assertionibus per num. 33. in hunc modum.

„ Ex.

162. ,, Ex his B. Virgo non ,, contraxit originale: quia contrahere originale consistit in eo, ,, quod peccaverit in Adam, & ,, quod ex vi hujus peccati concipiatur cum macula peccati, & ,, sine gratia; sed B. Virgo concepta est in primo animationis ,, instanti in gratia, & non peccavit in Adam: ergo non contraxit originale. Ex his 2. B. ,, Virgo non contraxit debitum ,, proximum contrahendi originale: quia debitum proximum ,, contrahendi originale consistit ,, in peccasse in Adam; sed B. Virgo non peccavit in Adam: ergo. Ex his 3. B. Virgo non ,, contraxit debitum proximè remotum contrahendi originale: ,, quia debitum proximè remotum ,, contrahendi consistit in inclusione absoluta in pacto: ergo. ,, Ex his 4. B. Virgo solùm habuit debitum remotè remotum ,, contrahendi originale: quia debitum remotè remotum contrahendi originale est contingentia inclusionis in pacto, quæ ,, est debitum remotum; sed B. ,, Virgo ex vi pacti cum Adam ,, habuit contingentiam inclusionis in pacto: *ergo.* Hactenùs Pater Marin.

163. Omnes Theologi moderni, alij ampliùs, alij strictiùs opinantur, diversitate proveniente ab æterna prædestinatione Deiparæ, & ordine decretorum ab ipsis adstructo. Nomine quippe prædestinationis Deiparæ describitur à Rhodes quæst. 1. punct. 2. illa specialis Dei providentia constituta ex actibus intellectus, & voluntatis, quibus Deus ab æterno destinavit efficaciter MARIAM in tempore producere, Matrem sui Unigeniti facere, ornareque omnibus donis gratiæ, gloriæ, meritorum, & naturæ, quæ tantæ sunt dignitati convenientia: hæc autem providentia conflatur ex diversis decretis divinis, vel virtualiter, vel distinctione rationis cum fundamento in re distinctis, vi cujus æquivaleat pluribus decretum re idem, & simplex, possitque suscipere denominationem prioris, & posterioris; ideóque per diversa signa explicatur.

164. Signa rerum apud Patrem Junium, & Herrera, & Theologos, non sunt aliquid distinctum ab ipsis rebus; sed sunt ipsæ res, prout talem, vel talem ordinem inter se habent: inde dicere, quod scientia media de consensu libero est in signo distincto, & priori prædefinitione formali consensus, seu liberi, apud suos defensores solùm est dicere quod scientia media, & est virtualiter, vel ratione fundamentali distincta, & habet ordinem prioris respectu prædefinitionis formalis. Regula igitur ad cognoscendam hanc prioritatem est influxus unius decreti in aliud; itaque decretum, quod influit in aliud, movendo, determinando, proponendo conditionem, vel motivum ad aliud, est prius dicta prioritate alio. Hoc commu-

muniter stabilito, procedunt Theologi ad collocanda, & ordinanda hæc Divina decreta in suis respectivè signis.

§. II.

Ordo Decretorum Dei in sententia Scoti exponitur.

155. SUbtilissimus Scotus decus Franciscanæ Familiæ, & de immunitate Mariana optimè meritus primum locum obtinere debet. Loquatur Pater Ferdinandus Salazar, qui in lib. de Conceptione, cap. 12. sic effatur: „ *fortassis* autem nova, „ & ab his, quæ de Scoti mente „ alij scripserunt, aliena dicam, „ conabor tamen germanum ipsius „ judicium sic exprimere, ut illius „ sensus me assecutum fuisse his, „ qui prædicta loca obierint, perspicuum *fiat*. Ergo Scotus, si conferantur ea, quæ docet in 3. dist. 7. quæst. 3. & dist. 19. quæstion. unica, & ista quæst. & quod utrobique dixit in reportationibus, signa decretorum Dei ad hunc modum distribuit, juxta laudatum Salazar; in primo signo consideravit Deus se ipsum sub ratione summi boni, ad quod reliqua, omnia creata bona ordinari, opus erat. In secundo signo animam Christi ante omnem aliam creaturam non tantùm fore decrevit, sed etiam ad illud Gloriæ fastigium prædestinavit, quod posteà obtinuit.

162. In tertiò signo omnes Angelos, & cunctas hominum animas, non modò producere decrevit Deus; sed ex utrisque plures ad Gloriam prædestinavit, adjecit etiã, ut tam Angelos, quàm hominum animas illi animæ Christi tamquam communi capiti, ac principi submitteret; & hoc videtur quartum signum. Rursus in quinto signo Angelicam naturam, quæ longè nobilior est, quàm humana, inferiori parere, & obsequi decrevit, dum decrevit animam humanam ad Divini suppositi unionem assumere. In sexto signo animas hominum, quas priùs secundum substantiam producere decreverat, & ad gloriam elegerat, suam quamque determinatè carnem, & corpus habere voluit, ita quidem, ut prædestinatorum corpora, quemadmodum & animas, priùs eligeret ad gloriam, deinde verò eadem hoc, vel illo modo contemperare decerneret.

167. In signo jam septimo hæc ipsa corpora, quæ poterat Deus per se metipsum producere, ita quidem per naturalem procreationem formare decrevit, ut Adamum hujus generationis fontem, & caput esse vellet. In octavo signo, cùm ad consequendam gloriam, tam animæ, quàm corporis (ad quàm prædestinatos efficaciter elegerat) gratia, & justitia esset necessaria, optimum ratus, ut qui naturalis generationis fons erat, idem esset caput, & initium, ex quo justitia ad posteros deflueret; legem transfusionis Adamo indixit, & fœdus de gra-

gratia derivanda cum eo pepigit. In 9. signo vidit Deus peccatũ Adami, ac ejus posteros morti, & peccato obnoxios propter parentis culpam. Nihil hactenùs de carne Christi Domini in ordine decretorum: quia cùm in ejus morte, ac passione contineretur peccatorum redẽptio, providè expectavit Deus prævisionem constantiæ, aut ruinæ primi hominum Parentis, ut animæ Christi, quam priùs ad gloriam, & unionem hypostaticam elegerat, aut carnem impassibilem prævisa Adami constantià, aut passibilem ejus prævisa ruinà assignaret.

168. Igitur in signo nono, prævidit Deus Adami culpam posteris impendentem. Ut huic malo medicinam pararet: in decimo signo animæ Christi Domini eam carnem passibilem, quam habuit, unire decrevit, ita quidem, ut priùs eam ad gloriam prædestinaret, & subinde post prædestinationem ad gloriam, passionem, aut mortem, ejusdem definiret. Ast cùm Subtilis Doctor non satis declararet, quid de Virginis prædestinatione senserit, sat ex doctrina illius, & ex illis, quæ in eodem 3. distinct. 3. quæst. 1. de Virg. inserit, mentem illius venari non difficile est. Ideòque in 11. signo decreta Virgo in prævisione Dei ita post mortem, & Crucem prædestinata, & electa fuit, ut non remotè, sed proximè post ipsam in eadem prævisione extiterit; Virgo enim simul atque passio, & Crux Christi à Deo prævisa est, nullo intestitio, aut intervallo ad gratiam originalem actutum electa fuit, alij verò subindè longiùs post quàm labi permisit, & delicti communis consortes facti ad gratiæ participium vocati sunt.

169. Præclaram Virginis Gloriam commendandam ex hoc signorum ordine à Scoto excogitato eruit, & infert Salazar. Primum: quia dum ejus prædestinationem, & electionem ad originalem gratiam post Christi passionem differt, hanc ipsam originalem gratiam, utpotè ex meritis Christi obtentam ad digniorem conditionem extollit: & sanè non parum decoris, & gloriæ ipsismet donis, & gratijs accrescit, quod tali, ac tanto pretio constiterint. 2. quia gratia originalis, quam Virgo obtinuit, melioris redditur conditionis, cùm totam sub meritum passionis, & mortis Christi, dicitur, cecidisse: quia exploratum est, longè majores, ac sublimiores gratias, & dona à Deo hominibus impensa fuisse, jam inde post quàm Christus re ipsa mortem pertulit, quàm omnibus retrò sæculis, antequam mortem subiret.

170. Itaque Virgine collocata in signo post passionem, decebat, ut non semel August. docet, Deũ effusiorem esse ad retribuendum, cùm pretium sanguinis Christi jam acceptaverat, quàm cùm de Christi passione, & inæstimabili sanguinis pretio nihil cogitabat, seu phrasi scholastica, præscindebat, accedente Ambrosio: *nec mirum, si Dominus*

redempturus mundum operationem suam inchoavit à Matre, ut per quam salus omnibus parabatur, eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore. Ut congregationes gratiarum effluerent in hoc mare magnum primum post Christum prædestinationis centrum.

171. Tertiòm: quia videtur Scotus, Virginem non ab originali tantùm, sed ab illius debito proximo liberasse, dicente Mariano Subtilissimo: *& sicut alij indiguerunt mediatore Christo, ut per ejus meritum remitteretur eis peccatum jam contractum, ita illa, magis indiguit mediatore præveniente peccatum, ne esset ab ipsa aliquando contrahendum, & ne ipsa contraheret.* Perpende extrema ista verba, quibus apertè docet, per Christi merita, non tantùm hoc factum, ne Virgo re ipsa contraheret peccatum; sed etiam ne esset contrahendum, id est, ne debitrix illius contrahendi esset: quare debitum peccati in MARIA Christi meritis extinctum fuisse, & quasi solutum, ex Scoti sententia probare pergit ipse Salazar cap. 13. num. 2.

172. Hunc ordinem cum Subtilissimi sensu exposui, quia videtur conformior ejus doctrinæ, ut ipse Salazar per totum depromptis sententijs ex ipso Scoto luculenter explanat. Et quidem videtur modus consentaneus Theologis, & PP. ac Concilijs MARIÆ præservationem à Christi meritis descendentem tenentibus & docentibus. Ego verò nihil, nec asserendo, nec impugnando propono, cùm meus scopus unicè collimet ad explicandam executionem adorabilis hujus Mysterij, ut per principia philosophica planè intelligatur, quomodò de facto executa est hæc mirabilis præservatio in instanti primo creationis animæ Virgineæ, & ejus infusionis in corpus; quia contra nullam sententiam dimicamus; cùm noster labor non supra mortalium sphæram, ad ordinem intentionis evolet, sed ad executionis tantùm harmoniam coarctetur.

§. III.

Principaliores aliorum opiniones.

173. EXimius P. Franciscus Suarez ex his, quæ docet in 3. part. disp. 5. sect. 1. & 2. disp. 1. sect. 3. & disp. 3. sect. 2. & 3. ac 1. part. lib. 2. de causa prædest. cap 4. n. 21. sic disposuit signa: in 1. Deus Optimus Maximus, via intentionis Christum Dominum & Incarnationem ejus quoad substantiam, & eas proprietates, quæ illam per se comitantur, efficaciter prædestinavit. In 2. MARIAM Virginem fore decrevit, ita quidem, ut priùs illam in Matrem Christi efficaciter eligeret, deinde ad illam gratiã, & gloriæ cumulum, quem demum obtinuit, destinaret. In 3. signo Deus omnes alias creaturas, mundumque universum, secundum esse naturale, efficaciter decrevit. Subjecto mundo, & creaturis omnibus Christo, & MARIÆ, tamquam

supremis rerum omnium Principibus. In 4 signo prædestinatos omnes, tam ex Angelis, quàm ex hominibus elegit Deus ad Beatitudinem, destinans ad illam gloriam, quam quisque demum erat consecuturus; circa reprobos autem negativè se habuit.

174. In 5. signo Adamum, atque Evam primos inter reliquos homines condere constituit, ut ab isto genus humanum, atque etiam MARIA suam originem recenseret, & Adam, tam naturæ, quàm gratiæ caput existeret, cum illo de transfundenda in posteros suos gratia, atque etiam in Virginem pactū est, si verò illam amitteret, suæ quoque labis illos consortes faceret. In 6 signo permisit Deus lapsum Adami. In 7. ad remedium hujus peccati Christum prædestinavit in carne passibili. Ac demum, in 8. signo, cùm reliquos homines in peccatum labi permisisset, ex meritis Christi passibilis in MARIA infusâ gratiâ à peccato originali eam servare decrevit, & vi executionis ad illam gratiæ mensuram adducere, ad quam ante ipsius peccati prævisionem in 2. illo signo ipsam præordinaverat. Unde vides, ex mente Eximij Maternitatem fuisse fundamentum, ut ad tantam, tam insolentem gratiam, & gloriam fuisset Virgo prædestinata.

175. Celeberrimus Catherinus in quator prioribus signis metandis omnino conspirat cum Suarez. In 5. autem, in quo pactum cum Adamo initum de transfundenda in posteros gratia, ab illo discedit, sed tamen de ejus mente non eodem modo sentiunt Interpretes: nam quædam sibi adversantia docere videtur. P. Vasquez, Catherini mentem se assecutum putat, atque adeò sic decernit. Quod si conferantur ea, quæ dicit Chaterinus in Opusculo de peccato originali, cap. ultimo § *Unde*, & 8 & in disp. de Immaculata Conceptione lib. 2. cap. 2. ejus certa mens ea fuit, duplicem veluti legem in uno fœdere cum Adamo percusso concipi posse, aliam de transfundenda gratia, & sub hac ingressam fuisse MARIAM, aliam de transfundendo peccato, & ab hac exceptam. Putat enim hic Author, rationi fuisse consentaneum, ut Virgo Deipara ad favores communi cum reliquis consortio vocaretur, atque adeò gratiam ex Adamo derivandam ipso perseverante caperet, ea verò, quæ contraria, & odiosa erant, ab ipsa longissimè arcerentur.

176. Galatinus in 1, signo deliberantem Deum de mundi conditione ponit, cùmque jam sub conditione futuros præsciret homines conditionatè creatos, pactum cum Adamo, & hoc ab illo conditionatè transgressum, à mundo condendo absolutè deterrebatur. Cúm verò in 2. signo venerunt illi in mentem JESUS, atque MARIA, eorum auxilio labanti mundo subveniri posse, prænovit: quarè in 3. signo ex illorum amore mundum condere apud se statuit.

In

In 4. signo ad executionem præcedentium decretorum veniẽs Deus MARIAM propagatam ex Adamo decrevit, & ne ex labe Adami per generationem virus serperet, Deiparamque inficeret, quamdam seminis particulam in lumbis Adami segregavit, eamque mundam, & immaculatam jussit, utpotè quam ab universali fœdere excepit, quæ particula ab ipso Adamo decisa in Seth, & ab hoc in Enos, & ab his succedente ordine in reliquos ejus posteros, usque ad Joachimum, & Annam per singulos venit, demum ex illa particula Virgo procreata fuit. Hæc Galatinus, inquit Salazar, in quibus sunt in Theologia alia absurda, alia planè fabulosa, & commentitia, atque adeò prorsus rejicienda, atque conturanda sunt.

177. Ipse jam P. Ferdinandus Salazar decreta Dei ita ordinat. In 1. signo, ut suam bonitatem in creaturas effunderet Deus, mundum universum propter homines condere decrevit; itaque non unum aliquem hominem, scilicet Adamum, nec plures confusè, & indiscrete, sed omnes futuros singillatim, eorumque numerum certum, ac definitum producere apud se constituit In 2. signo cùm posset alijs modis, quos deliberaverat, homines extra causas producere, unum Adamum, & ex illo omnes per naturalem generationem condere statuit. In 3. signo, cùm hominibus Deus gratiam, & gloriam cuperet, ita quidem definivit, ut is, quem naturæ caput esse jusserat, esset etiam fons, & caput gratiæ, & justitiæ.

178. In 4. signo prævidens Deus, omnes illos, quos condere priùs decreverat ex uno Adamo, peccato infectos, in remedium cõmunis peccati Christum secundum substantiam, ejusque mortem, meritaque decrevit. In 5. signo, cùm Christum posset per varias causas producere, videlicet per se metipsum illum ex nihilo creando, aut ex limo, vel ex alia materia eum formando, aut per naturalem generationem maris, & fœminæ, aut etiam ex Virgine tantùm sine Patre ipsum condendo, prævidens omnes illas fœminas, quas priùs condere decreverat, & quas lex transfusionis comprehenderat, peccato infectas, desiderausque simplici voluntate ex Virgine nasci.

179 Ex hac complacentia simplici nativitatis ex Virgine immaculata propter decentiam Incarnationis decrevit primùm efficaciter propter ipsius Christi merita MARIÆ substantiam, atque existentiam producere; atque ea prævisa, affectu etiam simplici dignitatem Matris Dei eidem cupiens ex hoc affectu auxilia efficacia illi præparavit, quibus eamdem Maternitatem mereretur; ac demum propter sua, & Christi merita Mater Christi efficaciter decreta est. Ita Salazar latissimè probans hunc ordinem decretorum à se statutum. Pater Joannes Marin. tract. 17. disp. 7. sect. 1. à n.

1. ita digerit signa. In 1. decrevit Deus Verbum hypostaticè unire vagè in natura humana, vel Angelica, vel alia nobiliori. In 2. signo ex meritis Verbi ita uniti, & propter ipsum tamquam finem decrevit Mundum, Angelos, & Adamum in gratia, & prædestinavit conditionatè Adamum, & posteros ad gloriam, non determinando hos præ illis. In 3. signo posuit præceptum Adæ, & celebravit cum illo pactum de transfusione gratiæ, vel peccati in posteros.

180. In 4. prævidit Deus peccatum Adæ. In 5. intuitu meritorum Verbi hypostaticè uniti forte vagè decrevit Deus, Verbum uniri naturæ humanæ proximè passibili, ut per ejus mortem nos redimeret præservando, vel sanando. In 6. ex meritis Christi decrevit B. Virginem primam omnium posterorum Adami, eam præservavit ab inclusione in pacto, & elegit in Matrem, posteà decrevit reliquos posteros, alios ex meritis Christi, & destinatos ad gloriam, & intuitu meritorum Christi sic prævisi executa est existentia mundi, Angelorum, & Adam in gratia, & ipsa unio cum natura humana: electi sunt primogenitores Christi, & decreta est illis gratia ad tantam dignitatem.

181. Ita enarratis principalioribus opinionibus omitto reliquas, vel quia ad has reducuntur, vel cum illis concordant, vel parùm discordant.

SECTIO III.

Ex ordine Decretorum Dei stabilitur nostra conclusio.

§. I.

Ut hæc intentio Dei habeat suum effectum connaturalem, debet anima Beatissimæ Virginis intelligi primò creata extra corpus.

182. EXpositâ harmoniâ decretorum Dei in ordine intentionis, totus, ut vides DD. labor est, ita disponere signa, ut decernatur immaculata Virgo jam præservata à peccato, jam à debito proximo per inclusionem in pacto, & ideò dimicant laudabiliter inter se in collocanda Deiparæ præservatione in signo apto, ut præintelligatur jam ad peccatum, jam ad inclusionem in pacto: quia nil prorsus agerent, si Virginem decretam exponerent in signo inepto ad præservationem à peccato. Ubi nota, quod in prosecutione finis, atque mediorum duplicem omnino ordinem agnoscere debes cum communi Theologorum; unum in intentione, & alterum in executione; qui ordines ita inter se conferuntur, & connexuntur, ut quæ priora sunt in in-

tentione, posteriora fiat in executione: quarè dum sermo est de voluntatibus Dei efficacibus, non sunt alia objecta, nec alij effectus in executione; præter eos, qui in intentione ponuntur; nec licebit ordinem intentionis ab ordine executionis secernere, ac separare.

183. Verum est, quod ordine intentionis priùs decernitur ipsa finis substantía secundum se, quàm media singularia, singularis modus, & singularis actio, per quam idem finis denique producendus est; ordine verò executionis non ita: quia non potest finis eo modo definiri à Deo, nisi definitis, ac determinatis priùs medijs, ac singulari actione, per quam ipsum finem effici oportet; nam cùm voluntas Dei in eo ordine sit voluntas, liceat sic dicere, executiva rei futuræ, non potest non præsupponere, aut includere ea omnia, sine quibus res perfici non potest. Unde voluntates illas Dei quasi in ordine intentionis alias post alias distinguunt, habereque propria objecta, & effectus etiam proprios diversos ab illis, quos ordo executionis includit.

184. Nam v. g. intentio finis efficax respicit tamquam objectum existentiam, & substantiam rei futuræ, quæ propter se, & gratiâ sui amatur, respectu cujus efficax dicitur, non quia ipsius effectionem immediatè attingat, id enim voluntatis exequentis proprium est; sed mediatè, quia nimirum movet ad electionem mediorum, quæ finis productionem attingunt: quapropter Divinæ voluntatis, quatenùs est intentio efficax finis, proprius effectus est electio mediorum, non quia re ipsa in Deo, sicut in creaturis una volitio causet aliam, sed quia nos juxta imperfectum nostrum concipiendi modum aliam ex alia fluere, unam ab altera inferri, apprehendimus. Quo notato, omittendo diversas Theologorum opiniones versantes circa ordinem intentionis, & executionis, cum ad rem nostram non faciant, & in quacumque sententia urgeat nostra ratio;

185. Sit nostra conclusio, & probatio simul: si in ordine executionis non decrevit Deus ut medium animam Virgineam primò extra corpus creare, non correspondet finis intentus, & effectus prædestinationi Deiparæ, quocumque modo excogitetur ab Authoribus: ergo ita debet exequi. Probatur antecedens: finis intentus est præservatio ab originali mediâ gratiâ primordiali animæ Virgineæ; sed iste finis non est executus juxta intentum, nisi anima Virginea intelligatur corpori præexistens: ergo ita debet adstrui. Declaratur minor: non solùm debet poni gratia in primo instanti Mariano, sed etiam debet intelligi in signo apto ad eliminandum originale peccatum, sicut apud ipsos non sufficit prædestinatio MARIÆ ab æterno; sed etiam collocari debet, vel in signo anteriori ad pactum, vel anteriori certè ad peccatum, vel ante

anteriori ad contractionem: ergo ut in via executiva gratia præserver à peccato, debet ejus executio fieri in signo apto ad præservandum; sed signum aptum est signum tantùm anterius: ergo in signo anteriori præintelligi debet.

186. Explicatur: aliud est gratiam expellere peccatum, aliud à peccato præservare: quia expellere supponit peccatum, & præservare impedit, ne peccatum sit. Nunc ergo: peccatum originale intelligitur in signo, in quo intelligitur anima primò concorporata, seu naturaliter ex Adamo propagata, cùm per propagationem naturalem peccatum traducatur: ergo si priùs concipitur concorporata, quàm intelligatur justa, intelligitur justa post naturá peccatum; sed gratia, quæ post intelligitur, non potest præservare, sed repellere: ergo ut intelligatur præservatrix, debet præintelligi ad peccatum Probatur: priùs intelligitur effectus inseparabilis à naturá quàm effectus proveniens ab alia forma supernaturali, vel naturali à natura distincta; sed originale est effectus naturæ descendentis ab Adamo, gratia est donum supra naturam: ergo si non adstruatur priùs gratia quàm natura, priùs intelligitur effectus naturæ, quàm gratiæ

187. Declaratur ampliùs: Angelicus Præceptor quæst. 3. de peccato originali, art. 3. hæc habet: *ad primum ergo dicendum, quod anima rationalis non habet immunditiam peccati originalis, nec à se, nec à Deo, sed ex unione ad carnem, sic enim fit pars humanæ naturæ derivatæ ab Adam. Ad secundum dicendum, quod cùm peccatum originale sit peccatum naturæ, non pertinet ad animam, nisi in quantum est pars humanæ naturæ.* Et art. 4. hæc habet: *& quidem cùm peccatum originale ex carne derivetur ad animam, nulli dubium esse potest, quin aliquo modo saltem in via generationis, & temporis per prius sit peccatum originale in essentia animæ, quàm in potentijs, cùm anima per suam essentiam immediatè corpori uniatur ut forma, non autem per suas potentias, ut alibi ostensum est.* Hactenus Angelicus.

188. Ex quibus sic: si anima Virginea non fuit extra corpus creata quod priùs intelligitur, est in primo sui esse ejus essentia corpori unita, & unita tamquam forma corporis, antequàm intelligantur ejus potentiæ, ac per consequens gratia, quæ est qualitas superveniens perfectio esse animæ, & multò magis si recipiatur in voluntate, utpotè pertinens ad amicitiam, & amorem; sed ex Ang. Doct. eò ipsò, quòd intelligatur unio animæ ad carnem, quòd intelligatur anima pars humanæ naturæ, quòd intelligatur forma corporis seminalis ex Adamo, intelligitur peccato naturæ fœdata: ergo si intelligitur in primo sui esse intra corpus, intelligitur, ante quàm intelligatur gratià. Audiatur iterum Angelicus concludens numerum suprà citatum art. 4. *unde omnibus modis peccatum originale per prius*

prius est in essentia animæ, quàm in potentijs, & ab essentia animæ derivatur ad potentias: sicut & naturæ processus est ab essentia animæ ad potentias; peccatum originale autem respicit naturam, ut dictum est.

189. Ex quibus iterum urgeo: peccatum originale est peccatum naturæ, intelligo cum omnibus completæ: ergo si Virgo intelligitur completa in natura, sicut debet intelligi in signo, in quo intelligitur essentia animæ suæ informantis corpus, quod est signum anterius, vel naturâ, vel ratione ad potentias, & multo magis ad gratiam, jam venit gratia in signo inepto ad præservandum à peccato: nam si erraret enormiter, qui diceret, gratiam Virginis obvenisse in secundò instanti reali suæ creationis, quia & si poneret gratiam in instanti ad expellendum apto, poneret in inepto ad præservandum, cùm gratia operetur ut qualitas physica; ita parum theologicè, & philosophicè procedit, qui gratiam exequitur in signo, & si apto ad repellendum, inepto ad præservandum, utpotè supponente signum animæ informantis, & unitæ corpori, actualisque partis humanæ naturæ. Roboratur demum: ex illo proloquio in omni Schola celebri, *omnis ordinatè agens priùs vult finem, deinde ea, quæ sunt ad finem*, id est, eo ordine, quo conducunt ad finem; sed finis Dei prædestinantis B. Virginem fuit, ut mediâ gratiâ præservaretur à peccato: ergo ordinatè voluit, ut ante quàm esset pars actualis humanæ naturæ anima Virginea, intelligeretur ipsa cum potentiori gratia, naturaque tantisper expectaret, donec gratia fructum suum produxisset. Quod ut ordinatè accideret, necesse videbatur, ut anima Virginea primò extra corpus suum crearetur.

§. II.

Roboratur ampliùs aßertio stabilita.

290. MAgrũ quoquẽ roboramentũ accipit noster discurrendi modus à congruentia, qua Omnipotens voluit procedere in omnibus rebus, præsertim in Mysterio Incarnationis, & ad illud spectantibus: audiatur D. Bern. homil. 2. super *missus est*, ubi disserens; quare Christus ex Virgine desponsata nasci decrevit, sic graviter, & luculenter effatur: *oportebat, à principe mundi aliquandiu cœlari divini consilij Sacramentum, non, quod Deus, si palam opus suum facere vellet, impediri posset, aut ab illo metueret, sed quia ipse, qui non solum potentèr, sed etiam sapientèr, quæcumque voluit, fecit, sicut in omnibus operibus suis quasdam rerum, vel temporum congruentias propter ordinis pulchritudinem servare consuevit, ita in hoc quoque tam magnifico opere suo, nostræ videlicet reparationis, non tantùm potentiam suam; sed & prudentiam ostendere voluit.*

291. Ipsaque Ecclesia mirata sapientiam Dei quotidiè laudat

dat Incarnationis dispositionem mirabilem, & locutionem Gabrielis ad MARIAM contrapositam locutioni Dæmonis ad Evam, *sumens illud Ave Gabrielis ore mutans Evæ nomen*, & victoriam Christi in arbore Crucis, ut qui *in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur, & medelam ferret inde, hostis unde læserat*: pariter in Virginis præservatione est valde Theologicum, & Scripturis conforme, indagare modum congruentiorem: unde cum originale peccatum traducatur per corpus ad inficiendam animam, quatenùs corpus priùs in executione prævenit animam, seu primum suũ esse; cumque incipiat per esse in corpore, incipit per esse inquinatum. Quid igitur congruentius in præservatione Virginea, quàm, quod puritas derivetur in corpus per animam, animaque præcedens sancta præveniat primum esse completum rationale corporis? Et cùm hoc faciat ornata gratiâ artem fallit, conteritque serpentis caput, dum primum esse humanum corporis non incipiat, nisi per esse Sanctum: & cùm hoc non posit conciliari cum natura, nisi adstruatur creatio animæ Virgineæ separatæ à corpore, ita congruenter debet adstrui.

191. Quod confirmari potest cum Doctrina aliquorum DD. qui loquentes de decisione Eucharistica, corruptis speciebus, utrũ debeat creari à Deo nova materia, vel ad vermes, vel aliud compositum, adstruunt isti Doctores, non creari aliam de novo, sed reproduci per creationem illammet materiem, quæ destructa fuit vi verborum consecrationis. Fundamentum eorum est: quia cùm destructa fuerit contra suam naturam, & violentia intercedente, exigit à Deo tota natura, ut casu productionis materiæ non producatur alia, sed reproducatur illa met, quæ passa est contra suam exigentiam violentiam. Cùm igitur gratia originalis hominum destructa fuerit contra suam exigentiam propter peccatum ejus contrarium, vel contradictorium, semper videtur reposci à Deo, ut si aliquem ex posteris Adami crearet justitia originali ornatum, crearet illum, ita ut in corpus derivaretur ab anima imago, & similitudo Dei; sed supposita corporis corruptione non est congruentior alius modus, ut hoc fiat, nisi, quod anima creetur separate, & Sancta: ergo hic modus congruentissimus est.

193. Nec dissimulare possumus, quod quamvis omnis anima rationalis producatur, & producta fuerit in Adamo, & Eva, & in omnibus ejus posteris intra corpus, tamen congruentissimum est, ut in Virgine Beata extra corpus crearetur: ad modum quo in initio mundi Deus creavit Adamum terrenum, & postèa ex ejus custa formavit Evam; contrarium tamen executus est Omnipotens in formatione Adami Cœlestis: priùs enim creavit MARIAM, Evam, & Matrem viventium, nutricemque meriti, & correctricem Evæ, & postea,

ſteà, ex ipſa generavit Adamum Cœleſtem Dominum Jeſum Chriſtum; ita ut ſicut Adamus dixit de Eva, *hæc eſt caro de carne mea & os ex oſſibus meis, vocataque fuit Virago, quia de viro ſumpta eſt;* ſic MARIA poterat dicere de Chriſto, *hic eſt caro de carne mea, & os ex oſſibus meis,* Si ergo Deus invertit ordinem in ſecundo Adamo, quid mirum inverteret in formatione ſecundæ Evæ, priùs creans ſibi primogenitam gratiæ extra corpus animam Virgineam, & ſi cæteras animas creaſſet intra corpus?

194. Audiatur Scotus in 2. diſt. 34. quod *duæ ſunt rationes, quarè Chriſtus non contraxit peccatum originale, & quarum una per ſe ſufficeret ſine altera. Prima: quia purgata fuit caro ejus in B. Virgine: ſecunda, quia non erat filius naturalis Adæ; & ideò non obligatur in Adam.* Ubi vides, quod Chriſtus Dominus ſit natus ex Virgine, non quia illi fuit neceſſarius hic ſingularis modus propagationis, cùm per Perſonalitatem Verbi animæ, & corpori unitam, non ſolùm maneret Filius naturalis Dei, ſed etiam pleniſsimè eliminaret omne peccatum: ergo hoc potiſsimùm fuit ad exequendum remedium in ipſa propagatione, ut per carnem, per quam Diabolus vicerat primum Adamũ, vinceretur à ſecundo. Quid mirum in ipſa carne, & propagatione naturali Deiparæ manente ſubſtantia naturalis propagationis peregerit Deus modum ſingularem, ut purgaretur caro ab anima præventa in gratia? Maximè cùm hoc neceſſarium videatur ad intelligendam immunitatem Virginis ob præſervationem ab originali primordialem.

195. In eundem ſenſum collimat D. Thomas: quæſt. de peccato originali, art. 7. reſpondet ad argumentum, quod ſibi objicit his verbis: *Præterea Damaſcenus dicit in 3. lib. quod Spiritus Sanctus ſupervenit Virgini purgans ipſam; non autem poteſt dici, quod illa purgatio fuerit ſuperflua: quia cùm natura creata nil ſuperfluum operetur, multò minùs Spiritus Sanctus. Si ergo purgatione non præcedente, corpus Chriſti aſſumptum fuiſſet de Virgine, contraxiſſet nihilominus originale peccatum. Ex his videtur, quod ipſum ſufficiat ad contrahendum originale peccatum, quod aliquis materialiter ex Adam carnem accipiat.* Ita propoſito argumento reſpondet. *Ad 6. dicendum, quod ex hoc, quod Chriſtus fuit conceptus ex Virgine ſine virili ſemine, habuit, quod non contraheret originale peccatum: præceſsit autem purgatio non tamquam ad hoc neceſſaria, ut ſine originali peccato conciperetur, ſed quia carnem, quam Verbum Dei ſuſcepit, omnis puritas decebat.* Hactenùs Angelicus Doctor.

196 Ubi tria adverte: primum, quod juxta Angelicum Chriſtus non contraxit originale duobus principalioribus è capitibus, 1. propter perſonalitatem Verbi unitam animæ in ſigno priori ad corporis, & animæ unionem. 2.

quia conceptus fuit ex Virgine sine virili semine. Adverte 2. quod præcessit purgatio Spiritus Sancti in Christi carne, non quia est necessaria ad originale peccatum evadendum. Adverte 3. quod non obstante non necessitate ad vitandum originale, solùm propter maximam decentiam, & omnem possibilem puritatem carnis susceptæ Spiritus Sanctus specialissimo modo supervenit in Virginem: quia cùm non sit conceptibilis major participatio, quàm, quæ fit mediâ hypostaticâ unione, ita præcedere debebat in carne, non modò magna puritas negativa, quæ consistit in recessu à debito culpæ; sed omnium maxima positiva per affluentiam maximorum charismatum, & donorum.

197. Nunc sic: si non propter necessitatem, sed propter decentiam tantùm fecit Deus mirabilia in Incarnatione nascens ex Virgine, & ex carne excellentiori modo sanctificata à Spiritu Sancto, quia sic decebat carnem, quam suscepit Verbum: igitur quamvis in Virgine non judicaretur necessaria ad evadendum originale creatio animæ extra corpus, ut præveniretur ad sanctificandum corpus, ex quo Verbum carnem assumere decreverat, stabilienda cum fundamento erat propter decentiam maximam, & puritatem omnium maximam infra Christum: ergo datur maximum fundamentum ad assertionem nostram: cùm præter decentiam adstruamus quamdam necessitatem stando rerum naturis, formarumque physicarum exigentijs; & quis neget hoc maximè roborare nostrum assertum?

§. III.

Nova fundamenta pro Assertione nostra producuntur.

198. Loquantur modò PP Ecclesiæ lumina, & fundamenta. Sit 1. Aug. 3. de libero arbitrio, cap. 5. ubi dat regulam ad dimetiendam executionem operum Dei, & est hæc: *quidquid vera ratione connaturalius occurrit, hoc scias, fecisse Deum rerum omnium conditorem*: ergo ex Aug. attendere debemus, tamquam præcipuum scopum, connaturalitatem in operibus Dei; sed nihil connaturalius ad Virginis præservationem peragendam, & præintelligendam, quàm, quod anima Virginea creata fuerit extra corpus: ergo ita fuit, ex Augustino, creata. Probatur minor: nihil connaturalius formæ operanti, & impedienti effectum contrarium formæ, quàm præcedentia respectu formæ, & effectùs formalis sibi contrariantis; sed quid connaturalius formæ accidentali præcedenti, quàm præcedentia subjecti, cui ipsa, utpotè accidens inhæret? Ergo cùm gratia sit forma impediens effectum corporis, sitque forma accidentalis recepta in anima, quæ subjectum ipsius est, quid connaturalius, quàm quod præcedat anima ad corpus? sed

ſed non poteſt connaturaliter præcedere in creatione, cùm creetur ad exigentiam corporis; ergo ſolùm eſt connaturale, quod præcedat ad unionem, & corporis informationem; ſed non poteſt hoc eſſe connaturale, niſi creetur extra corpus, præcedatque informationem tantùm præcedentiâ naturæ: ergo ex regula Auguſtini, ita in executione præceſſit.

199. Jamque intelliges rationem, fundamentum, & vim ſiſtematis Damaſceni, qui ſolùm docet, quod connaturalius erat, dum dicit; *quoniam futurum erat, ut Dei-genitrix Virgo ex Anna oriretur, natura gratiæ fœtum antervetere minimè auſa eſt, verùm tantisper expectavit, dum gratia fructum ſuum produxiſſet.* Ubi ad litteram connaturalitatem philoſophicam, & Theologicam apertiſsimè in executione manifeſtat: nam ponit primò in corpore naturam, gratiam in anima, naturam expectantem, gratiam expectatam, ac proinde formam peccati, alioquin recipiendã, vel phyſicè, vel moraliter in corpore, impeditam: ergo ſi corpus expectavit animam, & anima fuit expectata, fuit anima extra corpus creata: quia non expectavit creationem animæ, ſed expectavit gratiæ fructum, & incredibilis eſt gratiæ fructus abſque animæ productione: ergo expectavit animam jam creatam; ſed non expectaret, ſi fuiſſet intra corpus producta: ergo fuit extra, quamvis tantùm tantiſper per morulam, non temporis, ſed ſigni expectavit.

200. Declaret ipſe Auguſt. totum hoc inſigni teſtimonio in Pſ. 88. ſic enim inquit: *Quemadmodum, ſi Medicus videat tibi imminere agritudinem, forte ex aliquo labore, & dicat: par e tibi, ſic te tracta, requieſcebis tibis utere, nam ſi non feceris ægrotabis: tum autem ſi feceris, & ſanus fueris, rectè dicis Medico: liberaſti me ab ægritudine, non in qua eram, ſed in qua futurus eram. Item neſcio quis mittendus erat in carcerem, venit aliquis, defendit eum, gratias agens quid dicit? Eruiſti de carcere animam meam. Rurſus ſuſpendendus erat debitor, ſolutum eſt pro eo, liberatus dicitur de ſuſpendio.* En exempla allata ab Auguſtino gratiæ præſervatricis in medicina, in pœna debiti, in liberatione carceris; ſed ut hæc omnia ſint præſervativa, & impeditiva carceris, ægritudinis, & pœnæ, debent præcedere ad ægritudinem, carcerem, & pœnam, aliàs non præſervarent: ergo ut gratia ſit præſervatrix, debet præcedere ad corpus, quod per ſui conjunctionem cum anima affert ægritudinem, carcerem, & pœnam originalis peccati

201. Nec, quod Damaſcenus dixerit, citatus à D. Thoma, quod Spiritus Sanctus ſupervenit Virgini purgans ipſam, ſignificat, non crediddiſſe illam a primo Conceptionis inſtanti puriſsimam: nam nil clarius in toto opere Damaſceni elucet, quàm altiſsimæ laudes de Virginis puritate: quia lib. 4 cap. 15. ſic inquit: *ipſa enim ante ſæcula præcognitivo Dei conſilio prædefinita eſt, & diverſis ſi-*

militudinibus, & oraculis Prophetarum per Spiritum Sanctum figurata, prædicata. Et infrà; *nam re vera Domina facta est omnium creaturarum, cùm Conditoris omnium effecta est Mater. Deinde in domo Domini plantata, & impinguata spiritu, veluti oliva fructifera, omnis virtutis habitaculum facta est, ab omni sæculari vita, & carnali concupiscentia propriam mentem sequestrans, & sic Virginē animam cum corpore conservans, ut decebat eam, quæ in sinu Deum susceptura esset: Sanctus enim existens in Sanctis requiescit. Sic igitur sanctificationem omnium exercet, & templum sanctum, & admirabile Altissimi Dei dignè demonstratur.*

202. Rursus lib. 3. cap. 12. *Deum enim dicimus ex ipsa natum esse: non enim hominem ullum genuit Sanctissima Virgo, sed Deum verum, non nudum, sed incarnatum, non ex Cœlo corpus traducentem, & ut per canalem transeuntem, sed consubstantialem nobis carnem suscipientem: humanatio enim Dei Verbi propter hoc facta est, ut ipsa, quæ peccavit, & cecidit, & corrupta est, natura vinceret eum, qui seduxerat tyrannum: & sic ex corruptione liberaret.* Et infrà: *Unde jure optimo, & pro veritate Deiparam incontaminatam nominamus Mariam, hoc enim nomen omne dispensationis Mysterium commendat.* Unde vides, non dixisse Damascenum, Virginem primò purgatam, dum ex Spiritu Sancto concepit; sed Maternitatem fuisse præservationis primordiale fundamentum, ut dixit: *quoniam futurum erat, ut Deigenitrix Virgo ex Anna oriretur, &c.* Siquidem *oportebat eam primogenitam in lucem edi, quæ rerum omnium conditarum Primogenitum, in quo omnia coagmentata sunt, paritura erat.*

203. Quarè sensus Damasceni est hic: quod Virgo ab instanti Conceptionis fuit purissima, & dum caro ex carne ejus desumpta est â Verbo, fuit multò magis sanctificata. Quod ut intelligas, accipe discrimen inter puritatem, & sanctitatem, explicatum ab Angelico Thoma in 1. dist. 44. quæst. 1. art. 3. super quæst utrum Deus potuerit facere humanitatem Christi meliorem, quàm sit? Objicit sibi 3. his verbis: *item videtur, quod nec B. Virgine* (intellige posse Deū facere majus) *quia secundum Anselmum, decuit, ut Virgo, quam Deus Unigenito suo præparavit in Matrem, ea puritate niteret, qua major sub Deo nequit intelligi; sed nihil potest facere, quod sibi in bonitate, vel puritate æquetur: ergo videtur, quod nihil meliùs B. Virgine facere possit,* Respondet: *ad tertium dicendum, quod puritas intenditur per recessum à contrario, & ideò potest aliquid creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit, & talis fuit puritas B. Virginis, quæ peccato originali, & actuali immunis fuit, tamen sub Deo, in quantum erat in ea potentia ad peccandum.*

204. *Sed bonitas intenditur per accessum ad terminum, quod in infinitum distat, scilicet summum bonum, unde quolibet finito bono potest aliquid*

melius fieri, & hoc est, quod dicit Damianus Serm de Annuntiatione; cùm fecerit Deus omnia opera sua bona, hoc melius fecit, attende seraphim, & videbis, quidquid majus est, minus Virgine, solusque Opifex opus istud supergreditur. Quibus doctrinis, & authoritatibus clarescit intelligentia Damasceni. Ponit ergo B. Virginem Purissimam à primo Conceptionis instanti, & omni creaturà purà purissimam, quatenùs puritas, & si proveniat à gratia non infinita, secundum recessum à contrario, seu à peccato possit esse summa excogitabilis in pura creatura.

205. Sed cùm non sit summa secundum accessum, & finitum bonum, potest amplius, & amplius positivè purgari, id est, sanctificari: quod accidit in carne Virginis, quæ Spiritu Sancto specialiter repleta est, dum ejus caro unienda erat Divino Verbo, & adeò magis sanctificata, ut mirabiliter se explicat ipse Damascenus lib. 3. orthodoxæ fidei, cap. 12. prope finem: *ipsum enim Verbum caro factum est conceptum ex Virgine, præveniens quidem, & assumptione Deus, & ipsa jam ab ipso Deificata, quasi tribus simul factis, una cum deductione ejus ad esse, assumptione, existentia, & Deificatione ejus à Verbo. Et sic intelligenda, & dicenda Deipara Virgo, non solùm propter naturam Verbi, sed etiam propter Deificationem humanæ carnis.* Unde breviter ex Damasceno, B. Virgo fuit purissima à primo instanti Conceptionis, ea puritate, qua major sub Deo nequit intelligi per recessum à peccato; per accessum autem ad Deum habuit majorem gratiam omnibus, sed adhuc capacem intendi per novam gratiam, tunc præcipuè quando Spiritus Sanctus supervenit in illam, eamque elevavit ad generationem hominis Dei, & quando caro MARIÆ incepit esse caro Christi, hæc caro fuit Deificata à Verbo, & Deo, & magis pura ipsa MARIA propter impotentiam peccandi, ideòque MARIA in instanti suæ Conceptionis ea puritate nituit, qua major sub Deo nequeat intelligi.

SECTIO IV.

Proponitur alia sententia circa Virginis præservationem.

§. I.

Exponitur hæc opinio.

206. Doctissimus Recentior Dr. D. Joannes Josephus Eguiara, nostræ Academiæ Jubilatus Primarius in relectione ad Canonicatum Magistralem, quem plaudente universa republica litteraria obtinuit, sequentem conclusionem præfixit defensandam: *Et si Marianam immunitatem ab originali labe prorsus supponam, contendo nihilominus, sic fuisse*

se conceptam Virginem citra omnem libidinem parentum, ac si in statu innocentiæ fuisset progenerata. Et cùm secundum suum munus totus sit in probando, hanc esse mentem Magistri, neminem contrahere originale peccatum, nisi media generatione libidinosa, in hac ipsa generatione libidinosa consistere peccatum originale sive physicè, sive connexivè, propugnat: quæ omnia probat solidissimis authoritatibus, & rationibus. Hic Egregius Doctor convenit nobiscum in assignanda forma præservativa peccati originalis in via executiva, & in linea physica. Huic opinandi modo reduci possunt omnes defendentes sanctificationem corpoream per qualitatem infusam corpori Virgineo, ut ipsemet Doctor statuit per sequentia verba f. 11.

207. „ *Nec* inviti certè in „ sensum istum trahi possent Mag. „ Saabedra (Vestig. 2. d. 2. & 3.) „ Regij, & Militaris Ordinis B. „ Virginis MARIÆ de Mercede „ scriptor doctissimus, cœterique „ Sanctitatis corporeæ fautores; „ cùm enim defendant qualitatē „ corpoream Virgineæ carni in „ ipso Conceptionis instanti infu„sam, oppositamque judicent cum „ peccato, ægrè illa posset cum „ libidinosa generatione passiva „ Virginis jungi, quæ generatio „ naturaliter est cum originali pec„cato connexa; subindeque nec „ cum activa Conceptione, item „ libidinosa sociari posset, ut quæ „ naturali nexu cum passiva pec„cato maculata conjungitur. Sed „ quia in rem hanc non directè, „ sed reflexè perquirimus, unius „ quę Magistri mentem investi„gamus, Volsentem poscimus, in „ solo Volsente *moramur.*

208. Unde vides, non loqui hunc egregium Doctorem ex proprio ingenij penu & sententias; sed tantùm promovet sententiam Magistri, ut ex instituto suo erat in præsentiarum. Quod probat authoritate Augustini de fide ad Petrum ab eodem Magistro citati, hæc habentis: *peccatum in parvulos non transmittit propagatio, sed libido.* Accedit D. Aug. præcit. opere ab Anibaldum in 3. 1. dist. art. 1. ubi expendens modum, quo peccatum in filios traducitur, inquit: *hoc autem fit in quantum corpus cum libidine seminatur: sicut enim actus generationis absolutè consideratus traducit naturam; ita libidini permixtus traducit naturam cum culpa.* Sed cùm tota hæc expositio Mag. & Ang. fundetur in Aug. non negamus, semen vitiatum esse connexum cum originali peccato; sed de hoc inquirimus, qualis fuit forma in linea executiva expellens hoc vitium à semine Virgineo passivo, & quæ attulit hanc libidinis carentiam in Conceptione Mariana?

209. Si consulimus Mag. ipsum, lib. 3. dist. 3. puncto 3. cit. Aug. hæc ex ipso August. habet: *illa autem Virgo singulari gratia præventa est, atque repleta, ut ipsum haberet ventris sui fructum, quem ex initio habuit universitas Dominum, ut*

illud

illud quod nascebatur, ex propagine hominis primi, tantummodò generis, non etiam criminis originem duceret. Alijs etiam Aug. verbis utitur Magist. dist. 3. puncto 2. *inde enim scimus quod ei* (B. Virgini) *plus sit gratiæ collatum ad vincendum omni ex parte peccatum, quod & concipere ac parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum:* ergo Mag & Aug. agnoscunt gratiam pro forma expulsiva peccati, & connexionis termini, nempe libidinis, & inductivam libidinis carentiæ, & ex his videtur explicandus Mag. Neque enim negatur, à semine corrupto contrahi originale peccatum velut conditione, vel fortasse ut causa, quod negatur, est, quod hæc libidinis carentia non inducatur ab ipsa forma, à qua peccatum expellitur, quæ non est alia, quàm gratia collata Virgini in primo animationis instanti: adeò hęc sententia non opponitur nostræ, quia semper debet poni gratia, ac proinde in signo apto executivo, tam peccato originali, quàm ipsius fundamento connexionis eliminandis.

210. Quod crediderim cõfirmatum ex responsionibus ad argumenta contraria: nam sic habet objectione 2. „ *Si* Beatissima Vir„ go fuisset citra libidinem Paren„ tum genita, ac si in statu in„ nocentiæ fuisset progenita, fuis„ set etiam in Parentibus, & se„ mine ipso sanctificata; sed hoc „ repugnat, aliàs non modò ante „ animatum, verùm etiam ante „ formatum corpus Virgineum, at„ que adeò B. Virgo ante semet„ ipsam fuisset sanctificata: ergo. „ Probatur sequella: B. Virgine „ citra Parentum concepta libi„ dinem, omne semen, unde pro„ genita fuit, fuisset prorsus im„ maculatum, ut supra laudatus „ S. Damascenus inquiebat, sub„ indeque cum gratia B. Virginis „ infundenda, simul ac conciperetur, connexum ex lege quidem „ Dei, & decreto; sed hoc sat „ fuit ut B. Virgo in semine ipso, „ & Parentibus esset sanctificata: „ *ergo.* Ad quod respondet „ *di„ stinguo* majorem: si B. Virgo, &c. „ fuisset in semine ipso, & Paren„ tibus vialiter, & initiativè san„ ctificata, concedo; formaliter, „ terminativè, & propriè sancti„ ficata, *nego.* Et infrà pro explicatione.

211. „ *Purissima* autem Vir„ go ex immaculato progenerata „ semine simili modo in semine ip„ so, & Parentibus sanctificata fuit „ vialiter, & initiativè, quod ex „ Divino Decreto, privilegioque „ singulari passivam ejus Conce„ ptionem, animationemque san„ ctificans gratia ornatura erat; „ quamvis pro priori temporis ad „ animæ infusionem formaliter san„ cta non fuerit propriè, & ter„ minativè. Posteà in instantia ad quintum argumentum hæc habet. *Secundò:* in statu innocentiæ semen „ nullam haberet vim, ut gratiam, „ & originalem justitiam parentes „ derivarent in filios: ergo in sta„ tu naturæ lapsæ nulla pollet acti-

„ vitate, qua in prolem à Patri„ bus crimen Adæ transmitti *possit*. Ad quod respondet. *Ad secundum*, „ distinguo antecedens: in statu „ innocentiæ semen nullam habe„ ret vim causæ physicæ instru„ mentalis, ut parentes gratiam, „ & justitiam originalem deriva„ rent in filios, permitto; nullam „ haberet vim conditionis, & re„ quisiti ad gratiæ transfusionem, „ & originalis justitiæ, *nego*.

212. Unde vides, sensum hujus Doctoris interpretantis Magistrum esse, Virgineum semen præcessisse, vel tempore, vel naturà specialiter depuratum, utpotè organizatum, ut informaretur animà Sanctissimà, & hoc potuit evenire, per qualitatem supernaturalem corpoream productam à Deo vi decreti præservativi in ipso instanti in quo semen decisum cœpit organizari, quod congruentissimum est, & consonum ponentibus in Virgine corporalem sanctitatem per qualitatem corpoream, & conforme dictis à nobis præcedenti sectione 3. nam perfectior dispositio congruit ad perfectiorem animam, & hæc qualitas deserviret ut dispositio ante adventum animæ, & ut proprietas post animæ adventum ab ipsa anima radicata, ut multi philosophi tenent de calore disponente ad formam ignis, permanenteque cum ipsa ignis forma: & hic discurrendi modus videtur conformior naturæ, & theologiæ, quàm inducere hunc defectum libidinis habitualis per solum decretum præservativum Dei nihil positivum operans. Sed quid quid sit de hoc, nihil obstat nostræ conclusioni.

213. Quod sic probo: peccatum originale in Virgine fuit formaliter expulsum, & eliminatum à gratia prima Virginis immaculatæ, dicente Alexandro VII. in sua celebri Constitut. Solicitudo omnium Ecclesiarum, *Animam B. Virginis Mariæ in sui creatione, & in corpus infusione Spiritus Sancti gratia donatam & à peccato originali præservatam fuisse*: ergo gratia debet collocari in signo apto ad præservandum ab originali, quod non intelligitur præexpulsum, nisi præintelligatur forma præservans ad ipsum originale; sed peccatum originale consequitur ad propagationem, seu conjunctionem animæ cum corpore: ergo ante hanc conjunctionem debet præintelligi gratia in anima, & anima cum gratia, ut dicatur Virgo immunis à peccato vi gratiæ.

§. II.

Roborantur hæc omnia explicatione alterius difficultatis.

214. POtest quidem excogitari alius modus clarior nostro defendendi hanc præcedentiam gratiæ in signo naturæ anteriori ad peccatum, & non obnoxius difficultatibus ex singulari modo opinandi nostræ sententiæ, ponendo sic in primo signo in-

infunditur, & creatur anima Virginea in corpus. In 2. signo ornetur hæc anima gratiâ. In 3. resumpat in subsistentiam propriam animæ. Et in 4. signo intelligatur anima informans. Ecce gratiam ante subsistentiam; vel si vis, pone gratiam in signo subsequenti ad subsistentiam, antè quàm intelligatur anima informans; sed signum anterius ad informationem est signum anterius ad peccatum: ergo datur modus clarior ponendi in Virgine gratiam præservatricem, & anteriorem anterioritate naturæ ad peccatum.

215. Non placet iste modus: quia nos non negamus, potuisse Deum mirabilibus artibus, & ineffabilibus modis Virginem præservare, sed quod tenemus est, quod ut servetur ordo philosophicus, & theologicus, quod est nostri instituti, debet vi executiva adstrui Conceptionis harmonia, sicut à nobis adstruitur. P. Ildefonsus Salmerō egregius scripturarius super Epist. ad Romanos disp. 49. de Conceptione §. *& si igitur*, hæc habet: *& si igitur B. Virgo viâ seminariâ, ut reliqui in hunc mundum venerit;* & interjectis aliquibus prope medium prosequitur: *potuit etiam B. Deiparæ animam creare in gratia, ut Angelos, & primos Parentes condidit, & illa gratia omnem peccati labem impedivisset, quæ ad animæ cum corpore unionem consequi poterat, sive post signum, in quo anima communicat corpori suam vivificandi, & regendi virtutem, vel etiam ante secundum signum, in quo corporis materia suam vim se animæ subjiciendi communicat, vel etiam hoc admisso in 3. signo, in quo resultat humanitas, & in 4. in quo consideratur persona, mundare, & purgare ab omni sorde peccati valuit.*

216. Egregius hic Theologus, qui interfuit Sacro Tridentino Concilio Sedis Apostolicæ Theologus, & cum magna laude multum laboravit in decreto de peccato originali, ut primam gratiam Marianam à peccato Virginem præservantem explicet, varios modos proponit, non Scholastico more procedendo, sed tantùm explicando substantiam præservationis, & indicando modos, quibus Deus potuit ut supremus Dominus hanc gratiam infundere ante peccatum in quocumque signo executionis Conceptionis Marianæ, unde non curavit, sicut nos curare debemus, de modo connaturaliori, & clariori lumine philosophico intellectibus perfusis; ideóque videtur sibi contrarius: nam si primo modo ponit gratiam omnem peccati labem impedientem, quæ ad animæ cum corpore unionem consequi poterat, fatetur, labem peccati consequi ad unionem animæ cum corpore: ergo ponit gratiam in signo, in quo peccatum intelligitur, ut peccatum naturæ, & consequens ad naturam, quod inintelligibile est: nam gratia præservatrix debet præintelligi ad signum peccati, ac proinde in signo ante peccatum. Nam si signum gratiæ esset signum peccati, gratia intelligeretur pugnans; non præpugnans, seu præservans.

217 Vel collocat gratiam

in signo post peccatum; quale est illud, quod innuit, *sive post signum, in quo anima communicat corpori suam vivificandi, & regendi virtutem*; & cùm hæc virtus communicetur media unione, est ponere gratiam post signum peccati, cùm per ipsam unionem contrahat anima peccatum: ergo semper recurrere debemus ad primum modum indicatum ab hoc Authore, maximè cum ille satis innuat, se defendere subsistentiam distinctam à natura, dum dicit *in 3. signo, in quo resultat humanitas, & in 4. in quo consideratur persona*, quod non diceret, nisi defenderet subsistentiam distinctam à natura; nam modus ponendi gratiam in signo ante informationem animæ creatæ intra corpus, solùm habet locum in ponentibus subsistentiam animæ in positivo distincto ab ipsa substantia animæ.

218. Nam apud defendentes subsistentiam distinctam à natura simplici, vel ab unione substantiali naturæ compositæ, non habet locum hic modus explicandi præservationem: quia in istis signum primum essendi animæ intra corpus debet esse signum informandi, præsertim apud plurimos adstruentes unionem indistinctam à simultate, & conjunctio corporis, & animæ: nam in quo signo intelligatur anima intra corpus, debet intelligi conjuncta cum corpore: ideòque debent recurrere ad signum anterius, ponentes animam creatam extra corpus in statu capaci recipiendi gratiam, ut hæc præintelligatur ad signum peccati, quod est signum informationis, & unionis: nam in signo, in quo anima intelligitur concorporata, intelligitur corporis vitio fœdata. Et est valida impugnatio istius modi, quòd solùm in una sententia substineri potest, & non est fœderabilis cum probabilissimis Doctorum opinionibus aliter subsistentiam explicantibus.

219. Quarè eligimus modum primum designatum à doctissimo Salmerone, sed illum explicamus, & modificamus ad rem nostram. Audiamus illum: „ *potuit* „ etiam Deus B. Deiparæ animam „ creare in gratia, ut Angelos, & „ primos Parentes condidit, & illa „ gratia omnem peccati labem im„ pedivisset quæ ad animæ cum „ corpore unionem cõsequi *poterat*. In Angelis ergo debemus philosophico modo procedendo asserere, priùs naturà fuisse completos in esse substantiali physico, & in signo posteriori datam illis gratiam: nam priùs debet intelligi opus naturæ, quàm opus gratiæ. Ita in anima Virginea, priùs fuit completa in ordine substantiali, & posteà data illi gratia. Sed ad hoc necessarium est adstruere creationem animæ Virgineæ extra corpus: nam cùm anima rationalis duos habeat status connaturales, unum separationis, alterum conjunctionis; in statu separationis intelligitur completa per subsistentiam propriam, nec potest dari sanctitas, antequàm intelligatur

tur

tur persona sancta; at in statu conjunctionis non intelligitur completa nisi per subsistentiam totius: & ideò si crearetur intra corpus, non data fuisset illi gratia post subsistentiam propriam suam, sed post subsistentiam totius, sicut fuit data Adamo.

220. Audiatur Cyrillus lib. 1. de adorat. in Spiritu clarissimè docens hanc veritatem his verbis: „ *postea quàm* propriæ naturæ rationibus hoc animal (scilicet homo) absolutum fuit ab Opifice „ Deo, statim illius similitudine „ præditum est; impressa enim in „ illo est Divinæ imago naturæ „ inspirato Spiritu *Sancto.* Ubi clarè vides, quod priùs naturà fuit absolutus homo, & posteà inspirata imago Dei: quod est conforme rationi, & modo operandi in linea executiva, quod priùs sit natura, quàm gratia, priùs subjectum, quàm accidens, priùs medium, quàm finis: & cùm homo fuisset creatus propter gratiam, & gloriam; priùs debet intelligi homo perfectus in esse naturali, quàm intelligatur in esse accidentali. Quarè non potuit in hoc sensu dari gratia B. Virgini, sicut Adamo, hoc est, intellectà priùs absolutà, seu completa Virgine in esse physico substantiali: quia tunc daretur in signo inepto ad præservandum à peccato, quia ad minus, vel daretur in signo posteriori ad intelligentiam peccati, vel in ipso signo, in quo debet intelligi peccatum; quod est ineptum: nam quomodò potest intelligi forma præservativa ad mortem v. g. & non in alio signo, nisi in signo, in quo debet intelligi mors?

221. Quarè libenter concedam, fuisse Virgini datam gratiam, sicut Adamo, quatenùs utraque gratia fuit originalis; sed non annuam; datam illi gratiam in linea executiva in ipso signo, in quo fuit collata Adamo, cui nō fuit data gratia, ut illum præservaret ab aliquo peccato à natura contracto; & Virgini data fuit, non ut liberaretur à contracto, sed ne contraheret, ideoque debuit dari ante naturam completam in statu conjunctionis. Repete hìc Authoritates Angelici Thomæ, quas dedimus § 1. sect. 3. disp. 2. expono ultimam art. 4. quæst. 3. *&* *quidem cum peccatum originale ex carne derivetur ad animam, nulli dubium esse potest, quin aliquo modo, saltem in via generationis, & temporis, per prius sit peccatum originale in essentia animæ, quàm in potentijs, cùm anima per suam essentiam immediatè corpori uniatur ut forma, non autem per suas potentias, ut alibi ostensum est*: ergo signum, quod sequitur ad animæ essentiam intra corpus, est signum peccati originalis: ergo ponere gratiam in hoc signo, vel post hoc, est ponere gratiam in signo peccati, vel post peccatum, quod est signum ineptum ad præservationem. Et hìc locum habere potest D. Bonaventura, qui in Spec. B. Mariæ lect. 1. hæc habet: *Priùs saltem per naturam sanctificata fuit anima B. Virginis, quàm corpori unita.*

§. III.
Roborantur hæc amplius.

222. SAnctus Damascenus citata orat. 1. de Virginis nativitate dixerat: *etenim natura gratiæ cedit, ac tremula stat progredi non sustinens; quoniam futurum erat, ut Deigenitrix Virgo ex Anna oriretur, natura gratia fœtum antevertere minimè ausa est, verùm tantisper expectavit, dum gratia fructum suum produxisset*: ergo natura expectavit, & fuit priùs fructus gratiæ, quàm fœtus naturæ. Quid autem intelligat pro natura Damascenus, insignis theologus, pariterque insignis philosophus, edoceat nos in sua physica cap. 9. sic ergo inquit: *non nulli materiam, quæ in unaqueque re est, naturam appellarunt, hoc est, id quod primò in qualibet re naturali existit concinnitatis omnis expers, ut statuæ naturam æs, lecti lignum, atquè aliùs cujuspiam rei artefactæ aliud quidpiam esse: naturalis autem omnis corporis primam, & qualitatis expertem materiam.*

223. *Hinc porrò adducti sunt, ut materiam naturam dicerent, quia in omnibus mutationibus remanet eadem quæ semper est Quidam contrà formam, quæ materiam ambit, naturam nuncuparunt: quia juxta naturale nomen materia non dicitur, priùsquàm formam susceperit. Quemadmodùm, nec æs statua dicitur, antequàm statuæ formam acceperit, tamquam scilicet materia potestate dumtaxat sit, quippè cùm unaquaque res actu notetur, & exprimatur. Atque isti rectiùs, perfectiùsque de natura conjecturam facere videntur, quàm superiores. Alij id, quod ex materia, & forma mixtum; & concretum est, naturam esse tradiderunt. Proptereàquod homo ex homine, & bos ex bobe, atque ut brevi complectar, ex eo, quod compositum est, id quod compositum, & concretum est, oriatur. At hoc naturá est, non natura*

224. Hic vides, tres principaliores opiniones expositas esse à Damasceno, primam rectam judicat, secundam probabiliorem, tertiam falsam. Unde probabile judicat, materiam naturam appellari, rectiùs appellari naturam, formam, non verò admittit, appellari naturam compositum: quia hoc est naturá in ablativo, seu est à natura, non natura in nominativo; quod confirmat prope medium, dū dicit, *at quidem corpus naturale, tum materiâ, tum formâ præditum esse.* His positis, ut legenti patebit, Damasc. inclinavit in applicandā rationē naturæ materiæ, sed minùs principalitèr, & principaliter magis formæ, compositum verò à naturâ, seu naturale, non ipsam naturam in rigore philosophico appellavit, imò talem locutionem nervosè rejicit.

225. Nunc sic: juxta Damascenum natura principaliter est forma, & minùs principaliter materia, imò juxta sententiam, in quā inclinat ipse Damascenus, materiam existere per existentiam formæ, rectiùs, & perfectiùs forma est natura;

ri: ergo expectare naturam est expectare formam, & expectare materiam; sed forma naturalis Virginis fuit anima, & materia corpus: ergo expectavit corpus, & anima; sed anima, quæ creatur intra corpus, non expectat corpus, & corpus, intra quod creatur anima, non expectat animam: ergo expectare animam corpus, & corpus animam est expectare intraneitatem; sed anima, quæ primò creatur intra corpus, nequit intraneitatem expectare, cùm primum signum creationis sit primum signum intraneitatis: ergo si expectavit natura, fuit in sensu Damasceni animam creari extra corpus.

226. Neque dicas: Damascenus, rectissimè opinari, judicat eos, qui formam, *quæ materiam ambit, naturam nuncuparunt*; sed anima creata extra corpus materiam non ambit: ergo anima extra corpus non est natura. Distinguo consequens: non est natura operans, concedo; non est natura expectans, subdistinguo: expectans per instans reale, concedo; expectans per signum naturæ, nego. Loquitur igitur Damascenus approbans sensum philosophorum loquentium pro famosiori de formis materialibus, quæ erant præcipuus scopus illorum; & ideô toto capite comparat naturam arti, & solùm formæ materiales possunt aliquomodò comparari formis artificialibus: qui modus adeò invaluit apud philosophos modernos impugnantes Aristotelem: & cùm primum esse formæ materialis, utpote eductæ de potentia materiæ, debeat esse necessariò saltem naturaliter primum signum ejus intraneitatis in materia, ideò vocant naturam, formam, quæ materiam ambit: quia unicum signum naturale primi esse formæ materialis est signum intraneitatis, & ambitus materiæ, & ideò in istis formis nunquam potest, stando rerum exigentijs, expectare natura.

227. E contrà in anima rationali, quæ cùm habeat duos status connaturales, alium intra corpus, alium, & perfectiorem extra corpus, habet etiam duo signa naturalia primi sui esse, primum extra corpus, singulare quidem; alterum intra corpus, commune; & ideò in composito humano potest naturaliter esse forma sine materia. Quamobrem anima rationalis primò creata extra corpus in toto rigore philosophico est natura: quia primò creata est ex intentione generantis corpus, ut media informatione ens naturale constituat; sed cùm adhuc non intelligatur informans, rectissimè dicitur expectans; & cùm non expectet per tempus, sed per signum, valde philosophicè dicitur, quod tantisper expectavit.

228. Quod præcipuè declaratur: ex ipso Damasceno, & omnibus philosophis fœtus, fructus, & effectus naturæ per exhibitionem intrinsecam partium est compositum; *At quidem*, inquit Damascenus, *corpus naturale, tum materia, tum formâ præditum esse, quippe quod ex*

ex his constet: ergo expectare naturam est intelligi materiam, ante quàm recipiat formam, & intelligi formam, antequàm sit intra materiam; sed ex Damasceno expectavit natura: ergo expectavit corpus informari, expectavitque anima informare; sed hoc intelligi nequit, quin intelligatur anima extra corpus: ergo expectare naturam in sensu Damasceni est intelligi animam Virgineam primò creatam extra corpus.

229. Quod mirificè clarescit fundamento dato hujus expectationis; *dum gratia fructum suum produxisset*: quasi diceret, si priùs intelligeretur ens naturale, & non expectare naturam, gratia produxisset suum fructum in signo inepto: nam produceret fructum, vel in signo peccati, vel post peccati signum. Audiatur Angelicus cit. quæst. 3. de peccato originali, art. 3. ad 1. *dicendum, quod anima rationalis, non habet immunditiam peccati originalis; nec ex se, nec à Deo; sed ex unione ad carnem; sic enim fit pars humanæ naturæ derivatæ ab Adam. Ad secundum, dicendum, quod cùm peccatum originale sit peccatum naturæ, non pertinet ad animam, nisi in quantùm est pars humanæ naturæ.* En mirabile sistema: concurrit natura exigens, animam informare corpus ex intentione generantis, & Deus volens sanctificare in primo esse animam Virgineam vi decreti præservativi. Quid ergo? Expectet natura, & non sit anima pars humanæ naturæ per unionem ad carnem, donec gratia fructum sanctificationis producat, non ut expellat peccatum naturæ, quod nullum est in anima primò creata extra corpus; sed ut præventa gratià intelligatur prius Sancta, & incapax contrahere peccatum naturæ, dum ex unione ad carnem fiat pars humanæ naturæ;

SECTIO V.

Hoc systemate explicantur clarius dona naturæ, & gratiæ, quæ tribuunt Theologi B. Virgini.

§. I.

De dotibus naturalibus Virginis.

230. PLacet iterum recensere dona, quæ jam insinuavimus 1. ubi egimus de corpore, & anima Virginis: & non memoratis donis extrinsecis, vel quasi extrinsecis Regiæ nobilitatis, Patriæ, ac fortunarum; certum est, fuisse corpus ejus inter corpora organica perfectissimum: nam si corpora primorum Parentum fuerunt perfectissima, formata ipsa Dei manu, cùm Virgineum Corpus fuerit destinatum ad ministrandam carnem Dei Verbo; majorem perfectionem corporalem, & naturalem debebat ex Dei bene-

plas

placito sortiri. Et quidem si secundum perfectionem formarum materialium videmus materiam per potiores dispositiones, & organizationes nobilitari, naturamque plus, & subtiliùs laborare, & sic animæ rationali nobiliori formæ paratur à natura corpus inter organica princeps; animæ Virgineæ maximæ inter animas purarum creaturarum perfectius corpus organicum debebat disponi.

231. Perfectissima igitur fuit integritas membrorum Virginis, mira proportio conveniens, nativus color, optimum temperamentum, ex quibus omnibus resultat mirifica pulchritudo, ut fusè dedimus §. 3. sect. 2. disp. 1. præsertim cùm Virgineum corpus extra actualem Parentum libidinem, & ex semine adeò puro fuerit efformatum, ac si fuisset in statu innocentiæ generatum; decebat enim Christum, & Virginem esse inter se simillimos, non solùm in moribus, sed etiam corporis perfectione; cùm ex corpore MARIÆ formandum esset corpus Christi, dicente MARIA ad Christum: *caro de carne mea,* quod Adamus ad Evam. Etiam diximus indicando, quanta fuerit naturalis perfectio corporis Christi, quod est thalamus Divinitatis, futurum exemplar resurrectionis, & speciosus ipse præ filijs hominum.

232 Audiatur Gregorius Rhodes de Incarnatione disp. 3. sect. 1. §. 1. & 2. ubi certum judicat 1. Sanctissimum Corpus Christi fuisse perfectissimum quoad omnes ejus dotes, quæ sunt consentaneæ statui viatoris, & non repugnant cum fine ipsius Incarnationis; & ideò solùm negat, quod Christi corpus ante resurrectionem habuisset permanenter dotes Gloriosorum corporum proprias, tametsi transeunter aliquas sibi sumpsit: quæ omnia eleganter, & textibus, & authoritate probat. Certum est illi secundò, complexionem illam qualitatum, quæ vocatur temperamentum, fuisse in Christo exquisitissimam, & perfectissimam; quod probant allatæ ab illo rationes ex causis, finali, effectiva, materiali, poteſtque optimè vocari temperamentum ad justitiam, non autem temperamentum ad pondus; quod constat, esse non posse in corpore vivente; corpus enim vivens partes exigit etherogeneas ad organorum varietatem necessarias, quæ varietas stare non potest cum temperamento ad pondus, in quo qualitates quatuor æqualitatem habent intensionis gradualis; ad hæc additur sanitas integerrima.

233. Certum est illi tertiò; fuisse in Christo adhuc vivente, viatore corporis pulchritudinem omnino mirabilem, ut suadet dignitas Verbi, hospitis animæ Sanctæ, ipsa Deitate compositum dignificantis; deinde Artifex Spiritus Sanctus; materia illibatissima uteri Deiferæ; postremò finis, in quem ex terra Virgine secundus Adam prodijt, ut nimirum amore sui omnia corda succenderet, quia totum

salvaturus hominem, totum etiam gessit hominem. Consonam sine dubio proportionem peritissimus perfecit Artifex, cui dicit ipse: *corpus autem aptasti mihi.* Coloris benignam suavitatem exquisita tēperies, Materna similitudo, Verbi spirantis interiùs affinitas, & propinquitas continuò afflabat. Denique corpus illud exemplar futurum erat pulchritudinis omnium corporum Beatorum, imò PP. apud Cyparissiotam decade, 6. dicere non verentur, *quod in Christi corpore* tota Dei pulchritudo cernitur, quantum corporeis oculis est visibilis: quæ omnia militant in corpore Virgineo proportione servata infra Christum, cùm hic Filius sit similis Matri-Patri, & ipse Authot probet perfectionem corporis Christi è similitudine Materna. Aliud Dionysius Carthusiensis dixerit, suavissimam fragrantiam Virgineum corpus exhalasse.

234. Ex perfectione corporis conjectare licet dignitatem animæ; itaque ipse Doctor sect. 3. disp. unica, quæst. 3. statuit 1. animam Virginis Deiparæ perfectiorem fuisse substantialiter individualiter animâ quacumque aliâ humanâ non unitâ Verbo, si est possibilis inæqualitas individualis. Primò: quia ejus perfectio substantialis proportionari debuit aliquo modo immensæ gratiæ sanctificanti, cujus sedes futura erat anima. Secundò propter perfectionē præcipuè animæ, quæ eligenda erat in Matrem Dei, ideò debebatur illi animæ perfectio substantialis possibilis infra Christum. Tertiò proportionata esse debuit perfectio hæc animæ operationibus perfectissimis, quas MARIA perfectissimè ac suavissimè debuit elicere, videtur enim tanta illa, ac mirabilis perfectio non potuisse superari per solum temperamentum: ergo necessaria erat perfectio quædam substantialis major, quàm in alijs hominibus. Statuit secundò: intellectum MARIÆ fuisse perfectissimum entitativè, adeò ut nullius unquam ingenium fuerit etiam naturaliter perspicacius, sagacius, subtilius; nullus unquam fuerit in illo error, vel ignorantia positiva, aut pravæ dispositionis. Nemo enim Divinas veritates, vel penetravit subtiliùs, vel comprehendit solidiùs, vel perfectiùs intellexit. Ad hoc autem, ut sine perpetuo fieret miraculo, necessaria fuit illa maturitas ingenij, & velocitas. Statuit tertiò: MARIÆ voluntatem fuisse semper rectissimam, & ab omni motu inordinato liberam, actus habuisse omnes circa finem, & media, circa bonum, & malum, qui sunt in nobis; sed rectos semper, & Divinæ voluntati conformes, saltem quoad objecta formalia, imò & ita conformes rationi, ut eam nunquam prævenirent.

235. Tantum addit, fuisse in B. Virgine in summo gradu excellentiæ indolem illam optimam, quæ fundamentum esse dicitur totius boni, estque illa, quam sortitum se esse gloriabatur Salomon, anim

anima bona, naturalis nimirum inclinatio voluntatis ad omnem virtutem; quam efficiunt tria, temperamentum optimum, passiones moderatæ, cognitio clara boni; quæ in MARIA adeò excelluerunt, ut natura Virginis possit vocari singulare naturæ miraculum; in qua corruptio per peccatum illata locum non habuit. Statuit 4. potentias materiales, tam internas, quàm externas animæ Virginis fuisse perfectiores entitativè potentijs cujuslibet alterius hominis, & quidem phantasia semper placata, & placida nihil repræsentare unquam potuit, nisi sincerum, & verum.

236. Etiam in somno, ubi tamen Deipara naturaliter habere potuit somnia, quæ neque errorem inducerent, nec rationem turbarent, nec libertatem obruerent; quæ dormienti expedita, & integra semper fuit. Appetitus sensitivus eosdem actus omnes habuit, qui vocari solent in nobis passiones, amorem, desiderium, gaudium, odium, tristitiam, sed ita tamen rationi obsequentes, ut illi nunquam rationem prævenirent, nec illi unquam resisterent, quare non tam passiones, quàm propassiones dici debent, etiam si causarent mediocrem aliquam impassionem in corpore; sed placidam tamen, & quantum imperaret ratio. Sensus etiam externi perfectissimi rationi, & voluntati penitùs subjecti.

*****
***

§. II.

De donis supernaturalibus Corporis, & Animæ Virgineæ.

237. CUM dona naturalia collata sint Immaculatæ Virgini propter supernaturalem, ad quam destinabatur, excellentiam, agnoscunt Theologi in corpore Mariano carentiam illam libidinis, quæ congenita erat naturæ corruptæ, sive per qualitatem supernam depurantem semen, sive per Dei Omnipotentiam specialiter præparantem tabernaculum Altissimi in vi specialis electionis MARIÆ ad dignitatem Matris. Alij propterea ponunt in corpore Virgineo qualitatem materialem disponentem organa in signo, vel priori naturæ, vel temporis ad infusionem animæ, quia à primo creationis instanti Mater Dei erat Virgo, & destinabatur. Omnes similiter deinde ponunt Maternitatem corporalem, qualitatem nimirum, non modò sanctificantem corpus, sed elevantem corpus, illudque reddentem majori adoratione dignum, ac reverentia omnibus Sanctis, & Angelis.

238. Quæ qualitas passiones residentes in concupiscibili naturà, nempe sex, amorem, odium, desiderium, fugam, gaudium, & tristitiam, & quinque in parte irascibili, nimirum spem, desperationem, timorem, audaciam, & iram, quas omnes passiones ea, inquam

qualitas corporea sanctificans composuit ad normam honestatis, & rectæ rationis, fuitque radix boni moralis, ad quod potentias inclinavit corporeas, illas avertens à malo in re corporea morali, seu ad concupiscibilem, & irascibilem pertinente. Unde ab instanti primo suæ Conceptionis ponunt in corpore Virginis, ratione dictæ qualitatis sanctificantis illud, justitiam originalem, non prout sonat impassibilitatem, & immortalitatē; sed prout significat sanationem naturæ, constitutionem perfecti hominis, inter Deum, & hominem, rationis, & appetitus concordiam, specialemque Dei providentiam, & custodiam, fomitis extinctionem; immo dant illi fomitem, & inclinationem vehementem ad bonum.

239. Non minora sunt, sed præclariora, quæ à Theologis animæ Virgineæ attribuuntur, usus rationis, à primo suæ Conceptionis instanti, sanctificatio per proprios actus, adeò ut in primo instanti usus rationis, id est, ex ipso momento Conceptionis Deum amaverit ardentissimè MARIA, & simul emiserit Virginitatis perpetuæ votum, quæ Virginitas fuit in summo gradu perfectissima. Deinde statuendum est pro certo, quòd MARIA Deipara totam illam habuit infusam plenitudinem scientiæ naturalis, quæ potuit conferre ad perfectam prudentiam rerum agendarum, ad intelligentiam perfectissimam Scripturarum, & Mysteriorum fidei; deinde probabilius judicant, quòd MARIA Virgo habuerit ab initio Conceptionis infusam scientiam supernaturalem Mysteriorum omniū, quæ fide credimus.

240. De perfectione voluntatis afferunt, virtutes omnes, tum infusas per se, tum infusas per accidens, tum theologicas, tum morales, fuisse in MARIA ita perfectas, ut non sit ab ullo intellectu creato excogitabilis perfectio virtutis in pura creatura, quæ sit illà major, vel etiam æqualis: fingant (inquit Rhodes disp. unica quæst. 4. sect. 8. §. 1.) morales omnes Phylosophi, quamcumque voluerint, cogitent Angeli omnes, quamcumque potuerint, nunquam tamen, vel numerando, vel mensurando attingent magnitudinem, vel multitudinem virtutum Deiparæ.

241. Jam de gratia collata in primo instanti Virgini mira, & meritò loquuntur. Primò: tenent, ut valdè probabile, quòd gratia in primo instanti collata MARIÆ Virgini plures intensivè gradus habuit, quàm gratia ulli unquàm homini, vel Angelo data in fine vitæ, immò etiam, quod intensior illa fuit, quàm gratia data omnibus Angelis, & hominibus simul, & collectivè sumptis, adeò, ut si fiat cumulus ex omnibus illis gratijs Sanctorum, ille minores habiturus sit gradus, quàm gratia MARIÆ in primo, & unico instanti data: datasque illi tunc esse virtutes omnes in gradu heroico, quæ non dedeceat Dei Matrem; gratiasquè omnes datas, quæ scilicet

dans

dantur ad utilitatem aliorum, auxiliaque efficacissima: nam ex perfectione illius primi actus, per quē MARIA meruit cumulum illum gratiæ, infertur; sicut enim gratia, qua excellentia auxilia meruit, superavit gratias omnium Sanctorum, congruum omninò fuit, ut auxilium, quo prævenra est, superarit efficaciam auxiliorum omnium, quæ omnibus simul Sanctis sunt data.

242. Accepit deinde MARIA cum gratiâ primâ sanctificante justitiam originalem, quoad effectus ejus præcipuos: hanc ergo gratiam defendunt, non solùm datam Deiparæ, sed datam ex meritis, quod gloriosum est; ideòque dicunt, MARIAM Deiparam meruisse saltem de congruo totam illam gratiam, per quam in primo instanti est sanctificata, & omnia etiam privilegia, quæ cadere potuerunt sub meritum, qualia sunt extinctio fomitis, confirmatio in gratia, immunitas à peccato originali, & quod majus est, etiam Maternitatem Dei; immò gratiam infinitam defendunt aliqui: & aliqui volunt datam Virgini in primo instanti merito solutorio totam gratiam, quæ danda illi debebatur. Unde fundant argumentum gratiæ Virgineæ ex perfectione actuum, ex continuatione, & proportione dupli, secundùm quam gratia crevit ad tantam consummationem, ut cōcludat Rhodes cum Andrea Cretensi, serm. de dormit. Deiparæ dicente: *siquid, quod nos superat, divina operata est gratia, nemo miretur intuens ad novum, & ineffabile, quod in ea peractum est Mysterium ab omni infinitate infinities infinitè exemptum.*

243. Quid de Maternitate, quæ est donum super omne donum, & radix felicissima omnium gratiarum dicant P. P. simul cū Theologis fundati in Scripturis, & Ecclesia, nimis longum esset, cùm Maternitas Dei sit dignitas simpliciter infinita, & quâ nulla major potest intelligi. In primis enim MARIA Virgo ratione Maternitatis habet veram relationem ad Deum Filium, undè variæ quoque resultant relationes ad Patrem, & Spiritum Sanctum: habet quoque cognationem, affinitatem, & veluti consanguinitatem cum Deo, ut videndum est apud Rhodes disp. cit. quæst. 2. sect. 3. §. 2. Propter Maternitatem etiam convenit MARIÆ tanta, & tam exquisita similitudo cum Deo, ut totus videatur in MARIA splendere Deus; tota, quantùm fas creaturæ est, splēdere de Deo MARIA; proindè MARIA Deipara ratione Maternitatis quamdam habet cum Deo unitatem identitatis, quantūm creaturæ convenire potest, ita ut MARIA pura maneat creatura; ratione item Maternitatis habuit potestatem veram jurisdictionis, & aliquomodò proprietatis in Christum ipsum fundatam in voluntate Christi, qui voluit se obsequio Matris subjicere.

244. Habet quoque jus verum, ut honoretur à Deo, quantùm pura creatura potest honorari. Etiam habet jus, ut ametur à Deo

complacente in MARIA gratiosissima, tanquam in objecto amabilissimo, & elargiente ei omnia bona. Habet quoquè MARIA ratione Maternitatis esse Reginam temporalem, & Dominam omnium creaturarum spiritualium, & corporearum; complectiturque regnum ejus totum ordinem gratiæ, & gloriæ. Demùm MARIÆ titulo solo Maternitatis debentur, abstrahendo ab omni ejus merito, gratiæ omnes, quæ alicui unquam creaturæ concessæ sunt; immò gratiæ plures, & majores, quàm à bono intellectu creato concipi possunt; immò omnes gratiæ, quarum aliqua unquam pura creatura capax esse potest, dicente Sancto Bernardino de Sena serm. 51. *neque in personis creatis, neque in Personis increatis reperitur hæc dignitas, nisi in una Persona Divina, quæ est Patris, & in una persona humana, quæ est Matris.*

§. III,

Prosequitur intentum, & roboratur assertio nostra.

245. Mira sunt, quæ Theologi asserunt, & quæ inferunt de Virginis inaudita perfectione: animam optimam, corpusq uè perfectissimum agnoscunt, & talem in bonum propensionem, ut aliqui defendant, quos inter P. Mathæus Delgado, in Collegio Mexicano Primarius Magister in manuscriptis, etiam independenter à Maternitatis præstantissima dignitate prævisam omnibus, & naturalibus, & supernaturalibus auxilijs, tam de facto, quàm conditionatè collatis liberè consensuram; quinimò sub quolibet eorum optimum in genere moris operaturam; inferuntquè, eam moraliter necessitatam esse ad optimum in genere moris, sub unôquoque auxilio ponendum.

246. Et tuentes aliqui possibilem creaturam rationalem liberam ita perfectam ut solùm esset peccabilis metaphysicè, & essentialiter, seu pro casu metaphysicè possibili; tuentes etiam creaturam rationalem liberam, quæ ratione suæ perfectionis, ut connaturaliter existat, exigat gratiam sanctificantem, gloriæ lumen, aut visionem beatificam cum omni peccato incompossibiles, immò etiam tuentes creaturam rationalem, & volitivam liberam metaphysicè, & essentialiter positivè impeccabilem, huic tamen, sicut & reliquis creaturis, ita perfectis adeò excedere Sanctissimam Deigenitricem Virginem MARIAM defendunt, ut ipsius perfectio in genere moris perfectionem omnium longè, latèquè superarit.

247. Quod autem hæc omnia dona clariùs, & elucidiùs intelligantur, & philosophiùs adaptentur in nostro systemate, cuique clarum videbitur; nam si Cyrillus Hierosolymitanus tribuit incorruptionem, & alia mirabilia cadaveribus Sanctorum ab informatione animarum justarum, his verbis:

bis: *inest quædam hujusmodi virtus in corporibus Sanctorum propter tot annos inhabitatas in illis animas justas quorum ministerio usa sunt.* Tribuet quisquam animæ, etiam in signo, in quo non intelligitur informans, corporis perfectiones; præsertim cùm omnia dentur à naturà, vel gratia, ut dispositiones ad animã, à quà posteà adveniẽte radicantur ut proprietates: & nemini dubium est, quin omnes perfectiones corporales Virginis datæ sint illi propter animam, naturales propter perfectionem naturalem, supernaturales propter supernaturalem, excellentiores, & præclariores propter Maternitatem.

248. Undè cùm perfectior status animæ arguat perfectiores operationes in ipsa, & perfectiorem exigentiam in corpore, status animæ separatæ est connaturalior, & naturalioribus melioribus dispositionibus corporis, & donis supernaturalibus aptior. Undè claret, animam Virgineam creatam separatam esse in perfectiori statu ad omnia dona, tam naturalia, quàm supernaturalia, tam corporea, quàm spiritualia: nam ex parte intellectus perfectiùs intelligit separata, quàm conjuncta; 1. quia intelligit se quidditativè, quod in corpore non præstat. 2. concipit intelligentias proprijs conceptibus, & non per negationem. 3. Deum meliùs cognoscit, quia cognoscit meliùs effectus illius, & meliores. 4. cùm sit libera corpore, & phantasmatibus, aptior est ad intelligendũ, & perseverãdũ in actibus intellectus, ait D. Th. art. 2. ad 1.

249. Immò etiam res materiales meliùs intelligit anima separata, quàm conjuncta; quia est liberior, & lumen intellectus expeditius; & si ex gradu immaterialitatis taxatur gradus cognoscitivi, magis cognoscitiva actualiter est anima, & perfectiori modo extra corpus, quàm intra. Quamobrem usus rationis concessus à D. D. in primo instanti Virgini, nullo negotio declaratur, & sine miraculo adstruitur positâ primâ animæ creatione in signo naturæ extra corpus. Perfectiori intellectui correspondet perfectior modus operandi voluntatis, sanctificatio per proprios actus, meritum de condigno, & immensæ gratiæ, & Maternitatis; quæ omnia plana fiunt in animà separatà, potentique usũ rationis, & voluntatis continuare intrà corpus minori miraculo, quàm si primò creata fuisset intra corpus.

150. Propretereà qualitatem Maternitatis exhibitam animæ donum perfectissimum, radicem, & scaturiginem mirabilium Virginis exhibitam in essentia ipsius animæ, vel in intellectu, quàm congruè declarat systema Damasceni? Cùm ipsa cognosceret, quid reciperet, vel clarè, vel confusè, cùmque ejus munus esset elevare creaturam ad generandum Deum, meliùs videtur, datam esse animæ, dum purè spiritualis intelligebatur, & nullis irretita materiæ obstaculis, & corporis impedimentis; præsertim cùm Maternitas sit apud aliquos participatio Paternitatis Di-

vis

vinæ; & si Pater generat Filium viâ intellectivâ, æquum erat, ut Genitrix participatione gauderet hac radicali in statu, in quo perfectiùs cognoscit anima Deum, & spiritualia; qui est status separationis. Accedit ad hoc, quod ita intelliguntur clariùs Patres dicentes Virginem priùs concepisse mente, quàm corpore, & beatiorem esse propter hunc conceptum mentalem, quàm corporalem.

251. Nec deterioris conditionis debebat esse MARIA, quàm Angeli creati in plenitudine rationis, potentesque à principio meritoriè operari, & in quibus non est retardatus propter impedimentum naturæ influxus habituum infusorum, & correspondentium viribus gratiæ. Quæ si longè, latèque abundavit præ omnibus in primo instanti Marianæ Conceptionis, danda erat illi in Cœlo: si enim omnes prædestinati gaudent proportionali modo consummatione suæ gratiæ in Empyreo, cui fuit data major gratia in principio, quàm cæteris simul sumptis in Cœlo, congruentiùs erat, ut in ipso Cœlo Virgini conferretur primordialis gratia: quæ omnia connaturaliorem Dei modum operandi apertè innuunt; & si Deus poterat perfectiora operari in Virgine minori miraculo in statu separationis animæ, cùr Reginæ Matri denegabit Philosophus, aut Theologus, quod est conforme suis principijs?


252. Hæc etiam suadent creatio Adami, & Evæ in pleno, & perfecto rationis usu, quia destinabantur Parentes totius humani generis, & non expediebat retardare in capitibus humanæ prolis cognitionem, reverentiam, & obsequium Creatori suo: igitur cùm MARIA Domina fuerit creata à Deo Mater viventium excellentiori modo, & fine, quàm Eva, quid absurdi est, quòd Deus Omnipotens, & prædestinans, & quasi exhauriens, saltem intensivè, in unica Virgine perfectionem moralem, non creaverit MARIAM pleniùs expeditam ad obediendum, & obsequendum Deo suo? Cùmque statutum descendentiæ per naturalem propagationem ab Adamo obstaret, ut crearet Virginem à principio in perfecta ætate, sicut Evam faceret, quod nō obstabat, nēpè creare animam à principio cum perfecta mensura plenitudinis rationis ad utendum spiritualibus donis sibimet infusis? Verum est quod omnia hæc patrare poterat Deus in anima ligata corpori; sed non modo connaturaliori, & clariori sapientibus, & Divina per principia scientiarum explicantibus.

253 Inde fluunt, sic que meliùs intelliguntur perfectiones corporis, & clariùs. Nam vel ponuntur ut dispositiones ad animam recipiendam, proprietatesque ab ipsa anima radicandæ, vel ut qualitates ab ipsa anima derivandæ in corpus, & nemo negat, eò perfectiores esse dispositiones corporeas, quantùm perfectiones, quas corpus organicum exigit; & quantùm


tùm perfectior est anima, quæ informat, eò perfectiores derivatæ in corpus proprietates, qualitates, & dona; atqui anima secundùm substantiam perfectissima, est perfectior in statu separationis, perfectioresq; modi comitantur illam, tunc priùs separatam, posteriùs informantem: igitur ad declarandam totam Virgineam perfectionem, tenendum est cum Damasceno, quod natura gratiæ fœtum antevertere minimè ausa est, verùm tantispèr expectavit, dum gratia fructum suum produxisset.












DIS-



DISPUTATIO TERTIA
De mirabili prorsùs Immaculatæ Virginis Conceptione.

SECTIO I.
Quo in loco fuerit creata Eva?

§. I.
An intra, an extra Paradysum creati fuerint primi Parentes?

255. Olemnis est apud Patres, & Theologos Catholicam Ecclesiã sequentes, celebrisque contrapositio inter Evam, & MARIAM; quamobrem, ut viam dicendis de Virgine muniamus, placuit aliqua de Patria, seu loco formationis Evæ breviter prælibare. Cùmque de hac re nulla sit in Scripturis expressa mentio, quæstionibus dedit locum Moyses Historicus. Nam de Adamo solum dicit Gen. 2. *creasse Deum illum de limo terræ;* quæ autem fuerit illa terra, vel ubi fuerit formatus homo, ibi non dicitur, statim verò interponitur de Paradysi plantatione notitia: *plantaverat autem Deus Paradysum voluptatis à principio;* & additur, *in quo posuit hominem, quem formaverat.* Quibus ex verbis oritur dubium, an Deus creaverit Adam intra, vel extra Paradysum? Quia duobus modis potuit illum in Paradyso ponere: 1. formando illum in ipso Paradyso. 2. illum extra Paradysum creando; & in Paradysum posteà transferendo: & hinc nascitur similis de fœmina controversia.

256. Dico 1. Adamus fuit formatus à Deo extra Paradysum. Ita Angelicus Præceptor 1. parte quæ-

quæst. 102. art. 4. & est communis Theologorum, ac Patrum. Probatur 1. ex allegatis verbis: *In quo posuit hominem, quem formaverat*: ergo homo jam erat formatus, dum fuit in Paradyso positus. Clariùs eodem capit. *tulit Deus hominem, & posuit eum in Paradyso.* Ex quo, cùm non nisi violenter verbum *tulit* significet primam substantialem productionem, explicari naturaliter debet de transmutatione locali: ergo Adamus fuit formatus extra Paradysum. Consonat cap. 3. ubi: *emisit eum Dominus Deus de Paradyso voluptatis, ut operaretur terram, de qua assumptus est*: ergo liquidò constat, Adamum non fuisse assumptum de terra Paradysi.

256. Rogari hic obviter solet, qui fuerit ille locus extra Paradysum, in quo Adam fuit creatus? Et communiter fertur, fuisse formatum in Campo Damasceno: ita Petrus Comestorius in hist. scholast. cap. 13. Fundamentum sumitur ex Josue 14. ubi dicitur, quod Adam maximus ibi inter Enacim situs est: qui locus est propè Ebron, ubi jacet Campus Damascenus. Ubi à sepulchro ad formationem argumentantur, dicente Genesi, ejectum esse de Paradyso, ut operraetur terram, de qua assumptus est; sed meritò sentit Abulensis, hoc fundamentum non esse solidum, præsertim cùm sit communis sententia Patrum, Adam in Monte Calvario fuisse sepultum. Quarè nihil venit facilè definiendum.

257. Dubitatur etiam, quomodo fuerit in Paradysum translatus? An Divina inspiratione accepta cum notitia Paradysi, illuc tetenderit propria virtute gradiendo? An ministerio sui Angeli Custodis subitò in Paradysum translatus fuerit? Sicut Abacuc Propheta in Babilonem traductus est. Probabilior videtur hic modus propter Scripturæ verba: *Tulit ergo Dominus Deus*: qua phrasi significari solet in Scripturis peculiaris translationis modus Divina Virtute factus, sicut Genesis 5. de Henoch dicitur: *non apparuit, quia tulit eum Deus.* Et Ecclesiast. 44. & ad Hebreos 11. *translatus* exponitur. 2. & maximè, quia illa translatio debuit velocissimè fieri: quia intra eamdem diem erat Eva in Paradyso formanda ex costa Adæ, priùs impositis nominibus animalibus; non poterat autem Adam tam citò iter illud pedibus facere, præsertim si adstruatur creatus in Campo Damasceno.

258. Dico 2. Eva intra Paradysum fuit condita. Etiam est D. Thomæ loco suprà citato, & in 2. dist. 8. ubi Magister, & alij Theologi consentiunt, & indicant multi ex Patribus, præsertim Ambrosius lib. de Paradyso cap. 8. punct. 10. & 11. Quod probatur ex ipsa serie historica 2. Genesis: nam ibi dicitur, Adamum post suam creationem statim positum fuisse in Paradyso, ibique adducta fuisse ad eum animalia, posteà immissum soporem, & ibi ex costa ejus formatam esse Evam: præsertim cùm plurimi teneant, Evam sexto die fuisse

creatam. Contraria namque sententia Josephi lib. 1. antiquitatum sequuti à Ruperto lib. 2. in Genes. cap. 32. multùm invertit historiam, quæ debet esse, nisi aliud obstet, prima regula veritatis.

259. Oppones fortassè 1. Tertullianum lib. 2. contra Martionem cap. 10. dicentem: quòd nemo hominum in Paradyso Dei natus est, ne ipse quidem Adam, translatus potiùs illùc: ergo Eva non fuit in Paradyso formata. Respondeo, Tertullianum in textu loqui tantùm de viris; id enim causæ suæ inserviebat, scilicet, ut inde probaret verba Ezechielis: *in delicijs Paradysi fuisti* non posse de humano Principe intelligi. Oppones 2. non videtur verosimile, Deum creasse fœminam in loco nobiliori, quàm virum: ergo Eva non fuit intra Paradysi vireta formata. Nego consequentiam innixa m antecedenti falso; cujus quidem Divini Consilij plures rationes redduntur: potissima videtur; quia prior locus homini debebatur secundùm naturâ suam spectato, & alius excellentior solùm conveniebat ei, ut in statu innocentiæ, & gratiæ constituto: nam priori titulo conveniebat communis terræ habitatio, posteriori autem præparatus fuit illi locus amœnissimus, & aptissimus, tum ad vitæ commoditatem, & salutem; tum etiam ad vitam contemplativam, & tranquilam agendam cum jucunda, & facili operatione conjunctâ.

260. Ut ergo conditionem suæ naturæ ipso usu, & modo creationis homo cognosceret, extra Paradysum creatus est, ut posteà in Paradysum translatus, beneficium magis agnosceret, & in majore pretio, & æstimatione haberet illud, & ad conservandum, & custodiendum fieret solicitior. Postquàm autem Adam (in quo tunc tota species humana continebatur) extra Paradysum creatus fuerat, non oportebat, Evam in eodem creari loco, quia jam dicta ratio in illa non vigebat, nam ex conditione hominis suam naturam cognoscere poterat.

261. Oppones 3. licèt Geneseos 2. dicatur, tulisse Deum hominem, & posuisse illum in Paradyso, & posteà referatur, adduxisse ad illum animalia, nihilominùs potuit hoc posterius priùs fieri, quia non videtur congruum, bruta animalia adduci ad Adam intra Paradysum: ergo ordo narrationis Scripturæ non favet formationi Evæ intra Paradysum. Nego inclusam antecedentis probationem, teneoque, animalia fuisse introducta in Paradysum; ut Adam eis nomen imponeret. Et ad Damascenum negantem, futura fuisse bruta animalia in Paradyso, respondetur, verum id esse quoad permanentem habitationem, & homine invito: nam si animalia bruta in Paradyso non invenirentur, non fuisset ausus Dœmon in specie serpentis mulieri apparere.

261. Oppones 4. si Eva fuit creata in Paradyso, præceptum datum fuisset primo homini, antequâm formaretur Eva; sed hoc videtur dissonum, quia utrumque obligavit,

& utrique imponi debuit: ergo. Respondet Eximius lib. 3. de hominis creatione cap. 5. num. 12. præceptum illud impositum fuisse Adamo, quàm primùm in Paradysum introductus est, antequàm vel animalia fuissent ad ipsum adducta; vel Eva ex ipso formata: 1, quia id probat ordo narrationis Genesis 2. à quo non est sine magna causa recedendum. 2. quia verba præcepti ad unam personam in singulari diriguntur, scilicet, *præcepitque ei dicens: ex omni ligno Paradysi comede, de ligno autem boni, & mali ne comedas, in quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris.*

263. Ubi quatuor vicibus, aut vocibus numerus singularis habetur, & quamvis aliqua illarum vocum græcè in plurali ponatur, & ita legat Gregorius lib. 26. moralium cap. 10. aliàs 13. nihilominùs in hebræo legitur in singulari, sicut in vulgata habetur. Præter quam quòd D. August. verbum plurale ad sensum singularem reducit. Ad absurdum Ruperti responsum est à Crysostomo homilia 14. in Genesim: nam legens in plurali verbum illud, *ne comederitis ex eo*, inquit: *non dum Eva producta, quasi utrique mandaret dicebat, ne comederitis; manifestans jam inde ab initio quòd & Paulus dicit, caput mulieris est vir, quòd unus sit vir, & mulier.* Idem tenet expressè Ambrosius lib. de Paradyso cap. 11. Et ita præceptum pervenit ad Evam non productam, sicut pervenitet ad Posteros, si status ille durasset.

§. II.

Quo loco fuerit creata anima Evæ?

264 SUppono 1. ut certissimum, Evam quoad omnem membrorum corporalem integritatem fuisse formatam perfectam, id est, cum omnibus partibus organicis, & sensibus omnibus internis sine ullo defectu, vel impedimento ad operationes membrorum, & sensuum perfectè exercendas. Ita docent, vel potiùs, ut manifestum supponunt Patres, & Theologi, & cæteri Scriptores in Genesin. Probatur ex verbis illis; *vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona*: ergo etiam corpus Evæ erat valdè bonum; et si cætera animalia sexus fœminei integra, & perfecta creata fuerunt in corporibus suis: ergo multò magis Eva, quæ, ut præesset cæteris, creata est. Deinde opera Dei perfecta sunt, & hoc pertinet ad Bonitatem, Sapientiam, & Omnipotentiam ejus: ergo maximè debuit hanc perfectionem ostendere in formatione Evæ, quam non tantùm verbo, sed proprijs quasi manibus ædificavit. Unde optima ratio colligitur: quia omnes defectus corporales humanæ naturæ per peccatum introducti sunt, & sunt pœna peccati: ergo ante peccatum illos non habuit, ac proinde cum corporibus integris, & perfectis creati sunt.

265. Suppono 2. Evam in perfecta ætate, & totius corporis

omniumque membrorum augmento consummato fuisse creatam. Hoc docuit Magister Sententiarum in 2. dist. 17. & alij Scholastici cum Divo Thomà quæst. 91. art. 3. & 4. & probari solet ex Augustino 6. lib. de Genesi ad litteram cap. 13. & quamvis, ut Pereira notat lib. 4. in Genesim disp. de formatione corporis humani, quæst. 3. Augustinus interrogãdo magis quàm asserendo loquitur; affirmat autẽ, & potuisse Deum hominem ita creare, & id fecisse, quòd Omnipotentem, & Sapientem posse, ac facere congruebat. Quis autem dubitet, cõgruentissimum fuisse, Deum creare primos homines cum perfecto augmento, & integris viribus corporis, ac membrorum omnium? Expressè id docet Augustinus lib. 10. de peccati merito, & remissione cap. 37. ubi id confirmat exemplo aliorum animantium.

266. Nec contradicunt illa verba hominibus specialiter dicta *crescite, & multiplicamini.* In quibus verbum: *crescite* non ad augmentum propriorum corporum refertur, sed ad augmentum in numero, & multitudine, ut statim explicat per verbum *multiplicamini*, & ideò præmittitur ibidem, *masculum, & fœminam creavit eos*; quia, scilicet ad illud genus augmenti uterque sexus erat necessarius. De ætate, in qua creata fuit Eva, non satis constat, sed certum est, in ea ætate fuisse formatam, quæ proportionata erat connaturali perfectioni, propagationi, & tempori diuturnioris vitæ, qua victura erat super terram. Quantæ autem magnitudinis fuit corpus Evæ? Eâdem mensurâ discurrendum est. Refert quidèm Moyses Barcepha lib. de Paradyso cap. 14. tom. 1. Bibliothecæ, quosdam Doctores dixisse, primos homines ex terra Paradyso affini in Syriam per mare pedibus commeasse, cùm essent staturæ procerissimæ, quod, ut ait, ex Athanasio, & Cyrillo comprobare nitebantur, & ipse non reprobat.

267. Eximius verò nullum fabulæ hujus vestigium se, inquit, in Athanasio, & Cyrillo invenisse; nam tanta proceritas corporis non pertinet per se ad perfectionem corporis humani, aliàs Christus Dominus illam assumpsisset, saltem in resurrectione, & omnibus resurgentibus danda esset. Circa temperamẽtum, dispositionem, & pulchritudinem certum est, primos homines habuisse magnam, & consummatam perfectionem, in his omnibus quæ ad corpus pertinent, tùm quia opera Dei perfecta sunt; tùm quia cùm essent Parentes universi humani generis, decuit etiam, esse in corpore perfectissimos; tum quia corpus, & temperamentum debet esse proportionatum perfectioni animæ in virtute, & acumine intelligendi, cui corpus maximè inservire debet; & animæ primorum Parentum valdè perfectæ fuerunt, ac proinde corpora ornata omnibus corporalibus perfectionibus.

268. Circa creationem animæ sicut Genesis 2. dicitur: *creavit Deus*

Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem; quæ quidèm verba de solo Adamo scripta sunt, tamen quantùm ad animam spectat, eamdem rationem habent in Evæ productione: unde mutando verbum illud: *hominem de limo terræ,* applicari possunt ad Evam hoc modo: *formavit igitur Deus mulierem de costa Adæ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & facta est in animam viventem:* igitur Deus creavit animam rationalem Evæ, eamque corpori ejus univit, dum inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, ac proinde anima Evæ fuit primò creata in Paradyso. Hæc est sententia communis Scholasticorum in 2. dist. 17. & D. Thomæ 1. p. quæst. 90. art. 1. & 3. Item est communis sententia Patrum, præsertim Chrysostomi homilia 12. in Genesim in fine; dicente Albino, seu Alcuino quæst. 8. in Genesim: *quid est, quod Deus inspiravit in faciem Adæ spiraculum vitæ?* Respondet: *inspiratio Dei in faciem hominis traditio est animæ rationalis, quod de Eva pariter intelligunt Patres.*

269. Colligitur etiam clarè, eodem instanti, quo Adam productus est, & factus est in animam viventem, fuisse animam ejus, & corpori unitam, & creatam, at non anteà. Similiter anima Evæ: nam in hoc errarunt olim Origenes, & alij dicentes, omnes animas hominum fuisse in principio simul creatas: verùm in hoc veritas Catholica est, generaliter loquendo, animas non fuisse in principio creatas simul; sed creari in eodem instanti, in quo corporibus uniuntur, ut ostendit Divus Thomas dicta quæst. 90. art. 4. ex naturali principio, quòd anima est vera forma corporis; forma autem non est naturaliter ante compositum, teste Aristotele 12. metaphysicæ, textu 17. & in hoc conveniunt Doctores, & Patres, ut videri potest Eximius lib. 7. numero 8. se remittens ad alios tractatus.

270. Audiatur ipse Eximius num. 10. *sed* nihilominùs posita as-
„ sertio vera est, nimirum, animas
„ Adæ, & Evæ non fuisse priùs tē-
„ pore creatas, quàm corporibus
„ unirentur, sed solùm priùs naturâ,
„ & in eodem instanti *temporis.* Ita docet Div. Thomas dicta quæst. 90. art. 4. & Bonavent. in 2. dist. 17. art. 1, quæst. 3. & ibi communiter Scholastici, & alij moderni in Divum Thomam, & est communis sententia Patrum: Gregorius Nicen. lib. de Opific. hominis cap. 28. & 29. generaliter loquitur de animabus omnium hominum, & contra Origenem disp. Damascenus autem lib. 2. de Fide cap. 12. in particulari dixit: *Deum animam ratione, & intelligentiâ præditam per insufflationem Adamo tribuisse.* Et ne quis cogitare posset, tribuisse animam jam creatam, subdit: *porrò corpus, & anima unà creata sunt; non autem ut Origenes deliravit, hæc priùs, illud posteriùs.* Pro eâdem sententiâ referri potest Hieronymus locis suprà allegatis Epist. 61. ad Pammach. & 139. ad Cyprianum, & 8. ad Demetriad.

271. Ulti-

271. Ultimò dicendum est, animam Evæ fuisse in sua substantia & proprietatibus naturalibus valdè perfectam ad imaginem, & similitudinem Dei creatam, & post Adamum ab ipso Deo factam: quare si inter animas rationales nulla est perfectior alterâ, anima Evæ habuit totam perfectionem substantialem, cujus anima rationalis in individuo capax est; si verò inter rationales animas est inæqualitas individualis, quamvis incognitus nobis sit gradus perfectionis pendens tantùm à voluntate Divina, asserere tamen possumus, habuisse gradum maximum perfectionis, propter rationes potiori titulo applicabiles animæ, quàm corpori, atque eodem modo sentiendum est de potentijs, intellectus, scilicet, & voluntatis correspondentibus substantiæ animæ perfectissimæ.

§. III.

De perfectionibus Evæ in statu innocentiæ.

272. IN primis circa locum destinabatur in statu innocentiæ pro habitatione Evæ Paradysus voluptatis, locus amœnissimus, arboribus pulcherrimis, & fructuosis consitus, magno fonte fœcundus, ac denique habens omnia, quæ ad hominum habitationem, & ad vitam jucundissimam, & immortalem peragendam accommodatissima essent: quia cùm homo corporalis sit, corporali loco indigebat saluberrimo; & jucundissimo tali statui proportionato, in quo omnia necessaria ad immortalitatem corporis invenirentur. Exinde patet, in statu innocentiæ futuram fuisse Evam immortalem, vel per intrinsecam qualitatem per totum corpus difusam, & extensam illi inditam, ut à nullâ extrinsecâ causâ, quæ esset in illâ sufficienter applicata, posset corrumpi, ut tenet Molina tract. de opere sex dierum, disp. 28. 3. & 4. conclus. vel per qualitatem spiritualem animæ inhærentem, & corpus à corruptione præservantem, ut indicare videtur Augustinus lib. 6. quæst. novi, & veteris Testamenti, quæst. 19. vel non per qualitatem intrinsecam, sed per alia remedia à Deo Optimo ordinata.

273. Fuit etiam creata, ornata innumeris donis naturalibus, & supernaturalibus, & mirâ prorsùs rectitudine naturali, ac justitiâ supernaturali: nam in primis habuit naturalem scientiam, à Deo sibi inditam eâ plenitudine in specie, & individuo, quam innuit Ecclesiasticus, cap. 17. dicens: *creavit Deus de terra hominem*; & infrà, *creavit ex ipso adjutorium simile sibi*: & infrà *& disciplinâ intellectus replevit illos, creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum, & mala, & bona ostendit eis.* Sed non propter hoc judicamus, quòd novisset Adam, aut futura contingentia, præcipuè libera, aut cogitationes aliorum hominum interoas; quod optimè explicat Divus Thomas 1. part. quæst.

94. art. 3. dum dicit: Adam habuisse omnium scientiam; in quibus homo natus est instrui, & hæc sunt omnia illa, quæ virtualiter existunt in primis principijs per se notis, quæcumque scilicet naturaliter homines cognoscere possunt; unde infert in solutione ad 1. non potuisse Adam proficere in scientia naturali quoad numerum scitorum.

174. An potuerit autem decipi in naturalibus, negat Angelicus Thomas 1. part. quæst. 49. art. 4. & quæst. 18. de veritate, art. 6. & videtur fuisse sententia D. Augustini lib. 3. de libero arbitrio cap. 18. dicentis: *approbare falsa pro veris, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati*: ac lib. 11. Genesis ad litteram cap. 10. dicit: *non fuisse Evam à serpente decipiendam, nisi jam per superbiam peccasset*, in quo ponit, ante peccatum decipi non potuisse. Qui ita erat rectus in intellectu, fuit quoque naturaliter rectus in voluntate; Deus enim fecit hominem rectum. Quare ex Durand in 2. dist. 26. q. 2. fuerunt infusæ Adæ virtutes morales, ac per consequens Evæ, quæ circa alterum versantur, ut justitia, & liberalitas. Et ex Suario etiam fortitudo, temperantia, & reliquæ omnes determinantes voluntatem ad omnem rectitudinem, cujus erat capax, ideòque data fuit Evæ subjectio appetitus voluntatis, & rationis in principio creationis, ut quandiù non peccaret mortaliter, sentire non posset prævenientes motus inferioris appetitus rectæ rationi adversos, multòque minùs, subsequentes rationi jam imperanti repugnantes.

175. Utrùm autem Evæ in statu innocentiæ datum fuisset peculiare dominium tamquam proprium illius status donum, juxta illud Genesis 1. *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus Cœli, & bestijs universæ terræ omnique reptili, quod movetur in terra* Et quidem, ut notat Cajetanus, hoc dominium circa usum in executione, seu in modo obedientiæ aliquid speciale continebat in statu innocentiæ. Super hoc statu legatur Eximius citat. cap. 17. Et progrediendo ad dona supernaturalia benè loquitur Ambrosius lib. 6. Exam. cap. 7. Illa anima à Deo pingitur, quæ habet in se virtutum gratiam renitentem, splendoremque pietatis: illa anima benè picta est, in qua splendor gloriæ; & Paternæ imago substantiæ. Secundùm hanc imaginem, quæ refulget, pictura pretiosa est Adam ante peccatum; quod similiter dicendum est de Eva.

176. Unde Adamum fuisse justificatum, ac per consequens Evã in eodem instanti, in quo fuerunt creati, est sententia Divi Thomæ 1. part. quæst. 95. art. 1. conformior Scripturæ ac PP. Quantam habuerit gratiam, non est facile dimetiendum; sed dicendum est, habuisse magnam, quàmvis non consummatam, quia non consummatur nisi in statu beatitudinis, habuisseque simul cum gratiâ charitatem, & alias virtutes, per se infusas, morales, &

dos

dona Spiritus Sancti, quæ consequuntur gratiam gratum facientem, habuisseque spem futuræ beatitudinis, potuit autem, debuitque sperare auxilium benè operandi, perseverandique in gratia. Immò Adamum in primò instanti fuisse sanctificatum non solùm per habitus, sed etiam per proprios actus, est expressa sententia Divi Thomæ 1. p. quæst. 95 art. 1. ad 5. Et Eximij lib. 3. de hominis creatione cap 19. num. 3. quia cùm motus voluntatis fiat in instanti, potuit primus homo, ac proinde Eva, in eodem instanti, in quo creatus est, per proprium motum gratiæ consentire.

277. Simul cum gratiâ fuit Evæ ante peccatum infusâ aliqua notitia supernaturalis Mysteriorum supernaturalium earum rerum, quæ supernaturaliter amandæ, vel sperandæ erant; valdè credibile, & probabilissimum est, Mysterium Trinitatis fuisse Adamo revelatum, antequàm peccaret, dicente Epiphanio contrà hæreses in præfatione totius operis: *Adam protoplastus formatus est, non circumcissus, sed carne præputium habens; non autem erat idololatra, & novit Patrem Deum, & Filium, & Spiritum Sāctum; Propheta enim erat.* Quod infrà probat, eò, quod novit, quod Pater dixit Filio: *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Etiam fuisse revelatam Incarnationem Verbi, docuit Div. Thomas 1. part. quæst. 2. art. 7. & 3. An fuerit vera fides, vel altius fide in Adamo, & Evâ, aliqui ex antiquis, & gravioribus Theologis dixerunt, non fuisse fidem, sed aliquid perfectius, & medium quoddam inter fidem, & visionem; sed Angelicus 1. part. quæst. 95. art. 3. & alijs locis agnoscit veram fidem supernaturalē in Adamo.

276. An justitia originalis fuerit donum ab omnibus supra dictis distinctum, diximus disp. 2. sect. 1. §. 1. num. 157.

SECTIO II.

De loco, ubi fuit creata Anima Bmæ. Virginis.

§. I.

Anima Virginea creata fuit in Empyreo.

278. Probatà per totum hoc opus creatione Animæ Virgineæ extra corpus, restat assignare locum ipsius Purissimæ Creationis, statimque Dico, quòd suppositâ creatione Animæ Virgineæ extra corpus, congruum sentimus, creatam fuisse Animam Virginis in Cœlo Empyreo. Probatur conclusio: Scholastici communiter, ut videre est apud Eximium lib. 1. de Ang. cap. 4 docent, omnes Angelos creatos fuisse in Cœlo Empyreo, quia inde ceciderunt Angeli mali, ut colligitur ex multis testimonijs, & cùm casus fuerit ferè immediatè post creationem, non est verosimile, alibi fuisse creatos, & illùc posteà tanslatos; ante-

antequàm peccarent. Unde colligitur, etiam Sanctos Angelos ibi fuisse creatos: quia ubi mali peccaverunt, Boni restiterunt, & cum illis præliati sunt, & inde eos expulerunt. Ita sentit Div. Thomas dictâ quæst. 61. art. 4. & alij cum Magistro in 2. quæst. 1. Alensis 2. part. quæst. 19. memb. 3. ad 2. cum Glossa initio Genesis. Idemque sumi potest ex Hieronymo lib. 6. in Isaîam, cap. 14 dùm sentit, Luciferum ab illo Cœlo cecidisse, dicens: *unde ille descendit per superbiam, posse nos ascendere per humilitatem.*

279. Nunc sic: Petrus Damianus serm. de Annuntiat. inquit: *Cùm fecerit Deus omnia opera sua bona, hoc melius fecit. Attende Seraphim, & videbis, quidquid majus est, minus Virgine, solumque Opificem opus istud supergredi.* Joannes Chrysost. serm. de Nativ. apud Methaphrastem: *quid majus, aut illustrius inveniri poterit? Quidnam illâ sanctius?...inter res creatas visibiles, aut invisibiles majus, aut excellentius inveniri non potest:* ergo quidquid excellentiæ concedimus Angelis, potiori titulo concedere debemus Beatæ Virgini, si vel Scriptura, vel Ecclesia, aut PP. non cõtradicant; sed nulla invenitur repugnantia, proditque clarior intelligentia Scripturarum de Virgine loquentium, creatione ipsius Animæ positâ in Cœlo: ergo si Angeli creati sunt in Empyreo, fuit etiam in ipso Cœlo creata Anima Virginis naturæ spiritualis Princeps, & superior in gratia ipsis Angelis; nam quod concedimus excellentiæ inferioribus, & servis, concedere tenemur Superiori & Reginæ.

280. Dices verò: Eximius Suarius cap. 4. citato, num. 6. hæc habet: „ 4. *verosimile* satis est, Angelos non fuisse creatos in Cœlo „ Empyreo. Quoad hanc partem „ non displicet opinio Ruperti, nec „ ejus conjectura sumpta ex comparatione ad hominem: nam sicut „ homo non fuit creatus in Paradyso terrestri, quia quodammodò superabat naturam ejus, „ sed extra illum, & posteà in „ illum fuit translatus, ut beneficium speciale agnosceret; ita Angeli non debuerunt creari in loco proprio Gloriæ, & qui est „ veluti spiritualis Paradysus, sed „ extra illum, ut posteà juxta sua „ merita in illum transferentur. „ Accedit, quod ad excellentiam „ illius loci, & dignitatem pertinet, ut semper fuerit ab omni „ labe peccati purissimus, & consequenter, quod in illo nec Angeli peccaverint, ac sub inde in „ illum ingressi nõ fuerint, donèc in „ statu impeccabili constituerentur: ergo maximè ob hanc rationem non debuerunt in illo loco „ creari. Et potest hoc comprobari „ ex verbis illis Luciferi: *in Cœlum* „ *ascendam.*

281. Contrà tamen: ipsis rationibus Eximij meam conclusionem convinco: ideò Angelus non fuit, conjecturâ Ruperti, creatus in Empyreo, quia homo non fuit creatus in Paradyso; sed Eva formata fuit in Paradyso: ergo quàmvis Ani-

ma Christi, qui Adamum terrestrem corrigebat, non fuisset creata in Cœlo, Anima Virginis, quæ fuit Evæ opposita, creata fuit in Cœlo, dicente August. serm. de Natal. Domini: *Auctrix peccati Eva; Auctrix meriti MARIA: Eva enim luxit; Ista exultavit: illa peccatorem; Ista edidit Innocentem. Mater generis nostri pœnam intulit mundo, Genitrix Domini nostri salutem intulit mundo... Eva planctum MARIÆ cantus exclusit.* Et Ecclesia concinit: *Felix Cœli porta, sumens illud AVE, Gabrielis ore, funda nos in pace, mutans Evæ nomen.* Igitur si infelix mortis porta formata fuit in Paradyso terrestri, cur negabimus felici Cœli portæ, quòd fuerit primò creata in Paradyso Dei, qui est Empyreum? Secunda Eximij ratio, quod est apud ipsum præcipuum, & maximum fundamentum, est: quod ad illius loci excellētiam pertinet, quod semper fuerit ab omni labe peccati purissimus, ac subinde illum ingressi non fuerint Angeli, donec in statu impeccabili constituerentur; atqui puritas Virginis fuit major in illo instanti omni puritate Angelorum, etiam in statu impeccabilitatis ipsorum, & Virgo in illo instanti confirmata in gratia, & Maternitate sāctificante prædita, peccare non poterat: ergo ratio Eximij nobis apertè favet. Verba Luciferi satis explicari possunt de ascensu in locum superiorem Empyrei, ubi se Dominus in Solio manifestat, vel ad locum, ubi MARIA adoranda erat ut dicemus infrà fundati in 12. Apocalypseos, ubi narratà Conceptione Virginea per illa verba: *signum magnum apparuit in Cœlo, Mulier àmicta Sole, &c.* prosequitur textus: *& factum est prælium magnum in Cœlo: Michael, & Angeli ejus præliabantur cum Dracone.*

182. Præterquamquòd etiamsi Angeli non fuissent creati in Cœlo Empyreo, habemus fundamentum, ut Anima Virginis fuisset ibi creata, dicente Damasceno: *O Sanctissima! Quæ Principatus, & Potestates fefellisti Immaculata cōservata!* Quantaq; concedimus Virgini, quæ non concedimus Angelis? Sequamur nos propositum assumptum. P. Joannes Marin tract. 17. disp. ultima de Incarnat. sect. 4. movet hanc quæstionem: An si Domina Virgo mortua esset ante Christum, apertæ fuissent januæ Cœli, & ingressa fuisset in Cœlum? Et 1. part. hæc habet: *Dico 1.* Dominæ Virgini statim post
„ mortem essent apertæ januæ Cœ
„ li, seu non fuissent clausæ ita,
„ ut non potuisset statim adire Cœ
„ lum. Probatur 1. eisdem ratio-
„ nibus, quibus probavimus sect. 2.
„ quòd non descendisset in sinum
„ Abrahæ, & sect. 3 quod statim fuis-
„ set essentialiter Beata; quæ si-
„ quid probant, similiter probant,
„ futuras fuisse apertas januas Cœ-
„ li, seu non fuisse ita clausas,
„ ut non potuisset statim adire
„ Cœlum. Probatur 2. quoties ja-
„ nuæ Cœli sunt apertæ in ordi-
„ ne ad principale, id est, in ordi-
„ ne ad videndum Deum, sunt
„ etiam apertæ in ordine ad mi-
nus

„ nus principale, id est, in ordine „ ad videndum Deum in Cœlo; sed „ Beatæ Virgini fuerunt apertæ „ januæ in ordine ad videndum „ intuitivè Deum statim post mor- „ tem: ergo etiam fuerunt apertæ „ in ordine ad videndum Deum „ in Cœlo. Major est communis „ sententia DD. apud Suarez tom. „ 2. in 3 part. disp. 41. sect. 1. „ §. *nihilominùs*, apertè dicentem, „ quòd cui apertæ fuissent januæ ad „ videndum Deum, apertæ fuissent „ ad videndum Deum in Cœlo.

283. „ Probatur; Sancti An- „ geli erant custodes januarum „ Cœli, ut constat ex Psal. 23. „ *attollite portas, Principes, vestras;* „ sed verosimile est, quòd Sancti „ Angeli aperirent januas, quas „ custodiebant, suæ Reginæ, dùm „ non habebat obstaculum ingre- „ diendi per eas, quale non ha- „ buit Beata Virgo, ut probavi- „ mus, statìm ac mortua est: ergo ja- „ nuæ Cœli apertæ essent Beatæ „ Virgini statim post mortem, seu „ non fuerunt ita clausæ, ut non „ potuisset adire *Cœlum.*

284. Igitur si in re difficiliori, & ubi videntur obstare Scripturæ, & PP. conceditur Beatæ Virgini commoratio æterna in Cœlo, quid novi videtur ponere creationem Animæ Smæ. Virginis in Empyreo transeünter, maximè cùm hoc modo explicentur clarissimè Scripturæ, alioquin non nisi in alieno sensu intelligendæ? Nec minorem crediderim congruentiam, quòd si primus homo de terra terrenus, secundus autem homo, scilicet Christus agnovit originem ineffabilem secundùm principale, quod dicit Christus, nempe Personam in sinu Patris, descenditque de Cœlis, & homo factus est, ipsa melior Eva descendit de Cœlo secundùm Animam, ac rationalem Personam, ac Virgo, & Mater facta fuit. Sanctus enim Bernardinus de Virgine loquens serm. 52. tom. 1. hæc habet: *neque in personis creatis, neque in Personis Increatis reperitur hæc dignitas, nisi in una Persona divina, quæ est Patris, & in una Persona humana, quæ est Matris.* Loquitur de prærogativa generandi Deum. Cùm que Eva agnoscat pro patria Paradysum terrestrem, & ibi sit formata Mater viventium; in Paradyso Dei, quod est Empyreum, æquum est ut fuerit primò creata Mater Cœlestium, ibique ab æterno Patre participaverit dignitatem maximam generandi Deum, in Maternitate radicali, & radicata in gratiâ sanctificante. Est enim Maternitas dignitas omninò Cœlestis, & planè terminativè divina, ita ut posset Deus alloqui Virginem diverso, sed excellentiori modo, quam Hieremiam: *Priùs quàm esses in utero, novi te, & antequàm ingredereris in vulvam, sanctificavi te.* Prædicante Bernardo in 12. Apocalypseos: *novum fecit Dominus super terram, ut mulier circumdaret virum, nec alium, quàm Christum: novum quoque fecit in Cœlo, ut Mulier Sole appareret amicta.*

285. Maximum fulcimentum accipit hæc assertio ab opinione

ne, in quam inclinat P. Didacus de Baeza Societatis nostræ in Evangelicam historiam part. 2. lib. 18. cap. 3. §. 9. ubi per totum illustrat, quòd resurrectio Virginis non fuit in sepulchro, descēdente Animâ è Cœlis ad corpus, sed in Cœlis, sublato corpore ad Animam: ergo si producit maxima fundamenta ad hunc modum stabiliendum singularem in Virginis resurrectione, neque Christo, neque cæteris resurrecturis communem, non videbitur mirum, quod nos adstruamus creationem primam Animæ Virgineæ in Cœlo, quantumvis singularissimam, & neque convenientem Christo Domino, neque cæteris hominibus. Urgetur: resurrectio corporis; quæ est nativitas è sepulchro, dicente Ecclesia Christo Domino: *Qui olim è Virginis sacrario, nunc è sepulchro nasceris*, est magis congruum, ut fiat in ipso sepulchro; atqui his non obstantibus, non est inauditum, resurrectionem Virginis adstruere in Cœlo: ergo minori titulo censetur incongruum, primam Animæ Virgineæ creationem collocare in Empyreo. Firmatur ampliùs: D.D. Didacus del Castillo Antistes Truxillensis in Alphabeto Mariano §. C L X I X hæc habet: „ *Manna* cibus fuit in „ Cœlo formatus, & è Cœlo lapsus, habens omne delectamentum. Totum hoc MARIÆ tribuit Ambrosius in Psal. 21. dicens: *Quin potius ipsam MARIAM Manna dixerim, quia est subtilis, & splendida, suavis, & Virgo, quæ velut cœlitus veniens cunctis Ecclesiarum Populis cibum dulciorem melle defluxit.* Fuit ergo Manna ex mente Ambrosij MARIÆ typus, ut exprimeret MARIAM sic à peccati communi noxa liberam, ac si in Cœlo conceptam, vel ex inde missam. Si MARIA in Cœlo concepta fuisset, nemo ambigeret, ab originali peccato immunem fuisse. Hoc innuit Ambrosius, cùm MARIAM Manna vocat, & velut venientem è Cœlo, ac si diceret: B. Virgo ab originali culpa aliena fuit, ac si in Cœlo fuisset concepta, vel è Cœlo veniret. Hactenus Sapientissimus iste Doctor explicans Ambrosij Magni mentem. Nunc ego sic insurgo: *si MARIÆ in Cœlo concepta fuisset, nemo ambigeret, ab originali peccato immunem fuisse*: ergo adstruere creationem Animæ Virgineæ in Cœlo, illamque fundare, est via clarissima ad intelligendam immunitatem Virginis à peccato, & ipsam scholastico modo declarandam.

§. II.

Scripturarum roboramenta.

286. ADeò sunt pro nobis Scripturæ claræ, ut nisi hic absciberetur modus, difficilè intelligerentur. Pauca seligam præ multis. Audiatur F. Joannes de Sylveyra Carmelita, Insignis Theologus, Insignisque Scripturarius, super cap. 12, Apocalyp

pseos vers. 1. *Signum magnum apparuit in Cœlo, Mulier, &c.* Quæst. igitur 12. n 96. hæc habet: *Dico,* quòd „ hac Muliere sub hoc signo juxta „ litteram non solùm intelligitur „ Ecclesia, sed etiam Sacratissima „ Virgo MARIA, quia uno, & eo„ dem verbo metaphorico potuit „ Spiritus Sanctus æqualiter utrum„ que intendere, alitèr non rectè „ explicatur finis intẽtus à Spiritu „ *Sancto*: ergo juxta hunc Authorem ad litteram intelligendus est hic Text. Anteà quæst. 10. rogat: Quarè hoc signum magnum Virginis MARIÆ apparet in Cœlo, & non in terra? Respondetque: *triplex* est „ Cœlum, Aereum, Sydereum, & „ Empyreum, ut jam dixi quæst. 2. „ num. 8. In quonam Cœlo apparet „ hoc Marianum Signum? Dices „ fortasse in Empyreo; cõstat tamẽ, „ quia MARIA dicitur, quòd as„ cenderit super omnes Cœlos, exal„ tata super omnes Choros Ange„ lorum. In quo ergo Cœlo dicitur „ hoc signum? In illo nempè altis„ simo, quod dicitur Thronus San„ ctissimæ Trinitatis. Richardus de „ Sancto Laurentio lib. 12, serm. „ de Assumptione, visum est, ait, „ illud signum in altiori, nempè „ triumphali illo Cœlo, siquod „ est altius, vel superiori parte Em„ pyrej, ubi est Thronus Divinæ „ Majestatis, quod dicitur Cœlum „ Sãctissimæ Trinitatis, nihil enim „ creditur altius sede MARIÆ, „ quæ ad Dexteram Filij sedere di„ citur in Throno Majestatis.

287. Ait Salomon Prov. 31, „ num. 10. *Mulierem fortem quis inveniet? Procùl, & de ultimis finibus* „ *pretium ejus.* Ubi sermo est de San„ ctissima Virgine MARIA, ut ma„ gna est vox PP. ac Interpretum, & „ tantùm ait Salomon, quòd sit pro„ cùl, & de ultimis finibus; cur non „ explicat; quinam sint hi ultimi fines? sicut de credentibus ad Christum ve„ nientibus expressè dicit Isaias 52, „ num. 10. *Videbunt omnes fines terræ sa„ lutare Dei nostri,*. Hieremiæ 6. n. 21. „ *Gens magna consurget à finibus terræ.* Si„ cut ergo credentes dicuntur ad „ Christum venire ex finibus terræ, cur hæc Mulier, portans Cœlestem „ Panem, non dicitur venire à fini„ bus terræ, sed tantùm maximè exag„ geratur; venire à finibus remotis„ simis, ac maximè distantibus? *Pro„ cùl, & de ultimis finibus?* Quia „ hæc Sancta Mulier MARIA non prodit à finibus terræ; sed à finibus „ remotioribus, ac excellentioribus, „ nempè à finibus supremi, ac altissi„ mi Cœli Empyrei. Div. Bernardus „ Homilià super *Missus est* sic ait: *Pro„ cùl, & de ultimis finibus pretium ejus,* „ *non parvum, non mediocre, non de terra, sed de Cœlo; nec de Cœlo proximo terris* „ *pretium fortis hujus Mulieris, sed à sum„ mo Cœlo egressio ejus.*

„ 288. Ait noster Joannes Apo„ calyps. 21. num. 2. *Vidi Sanctam Ci„ vitatem Jerusalem descendentem de Cœ„ lo à Deo, paratam sicut Sponsam ornatam Viro suo.* Quæ verba Magni PP. ut „ Divus Augustinus, Rupert. & Di„ vus Bernardus de B. V. MARIA „ interpretantur: ipsa enim est Civitas „ Regalis Æterni Verbi, Civitas Regis

Magni

„ Magni Ps. 47. n. 3. & quia etiam in „ ea omnes Fideles commorantur Ps. 86. n. 7, *Sicut lætantium omnium habitantio est in te*; & dicitur Civitas Sancta, quia ipsamet Sãctitas eam sanctificavit: *sãctificavit tabernaculum suum Altissimus*. Ps 45. n. 5. & Spõsi signa refert, *à Deo paratam sicut Sponsam*. Lucæ 1. n. 35: *Spiritus Sanctus superveniet in te* Additur etiam ad rem nostram: *Descendentem de Cœlo*; sed quomodo dicitur? Nam solus Christus Dominus de se potuit testificari *Descendi de Cælo* Joann. 6. num. 11; Virgo autem MARIA genita est in terra ex progenie Adam; quomodo de ea ait textus, *descendentem de Cælo*?

289. Respondet Div. August. lib. 20. de Civit. c. 17: *De Cœlo descẽdere dicitur ista Civitas, quia Cœlestis est gratia, qua Deus illam fecit.* Ejusdem speciei est gratia, quæ delet peccatum originale, ac quæ personas justificat in Cœlo, ac terrà; ejusdemq̃ naturæ, ac essentiæ est gratia, quæ homines, ac Angelicos Spiritus Deo associat, ac ejus amicos facit: ergo superfluum videtur verbum, dùm peculiaritèr dicitur Mariana gratia *Cœlestis*. Tamen magnà, & altà consideratione loquitur Augst. nam quamvis gratia secundùm suam naturam, & entitatem semper sit unius, & ejusdem speciei, tamen secum optimè hanc differentiam admittit, nam illa, quæ datur hominibus in terra, communitèr, ac ordinariè communicatur hominibus infectis peccato originali: *In peccatis concepit me Mater mea.* At verò in Cœlis infunditur gratia Angelis cum ipsismet principijs naturæ juxta Div. Aug. *Deus erat simul condens naturam, & largiẽ gratiam, nullo supposito peccato.*

290. Quando ergò Deus condidit MARIAM, quænam gratia illi data est? Illa, quæ communicatur in terra, an illa, quæ datur in Cœlo? Ait noster Evãgelista: *Descendentem de Cœlo*, ut explicat D. Aug. Cœlestis est gratia, quà Deus illam fecit. Fuit ergò ejus gratia Cœlestis, nullo enim præexistente peccato, gratia data est MARIÆ cum ipsismet principijs naturæ, ut simul, ac fuit concepta, esset Sancta. Nec inferior esset Angelis, quæ horum Regina creabatur, proindèque rectè ejus gratia singularitèr Cœlestis *nuncupatur*. Hactenus ad literam Silveyra.

291. Sed quis Scholasticus Scripturarius non videat, (si non adstruatur Anima Virginea physicè creata in Cœlo) non esse istam adæquatam responsionem litteræ textus? Præsertim cùm eodem modo gratia collata Adamo pòssit, eodemque titulo appellari Cœlestis, & dici, Adamum descendisse de Cœlo. Igitur sensus Augustini optimè explicabit interpretationem Silveyræ, si intelligatur gratiam, quæ datur in Cœlo, datam fuisse MARIÆ sicut his, qui in Cælo creati fuerunt; nempè existente physicè subjecto gratię in ipso Cælo, & ubi fuerunt principia altissimæ Gratiæ Marianæ, fuisse etiam principium ejus naturæ rationalis: & sic percipietur clarè omnino Aug. dicens: Deus erat simul

con-

condens naturam, & largiens gratiã: ergò largiens propriam gratiam Cæli, ex Auguſtino, cõdidit naturam Marianam ſecundùm animam in Cælo, & non ſecundùm corpus, ut concilientur Scripturæ. Prætérquamquòd accedunt alij textus clariſsimi, qui ita intelligi debent, niſi adſit inconveniens, ut probatum eſt, non adeſſe. Qualis eſt Pſ. 8; incipiens: *Fundamenta ejus in Montibus Sanctis, diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Jacob; Glorioſa dicta ſunt de te, Civitas Dei, &c.*

292. Caput 24. Eccleſiaſtici præcipuè à verſ. 14 *Ab initio, & ante ſæcula creata ſum, & uſque ad futurum ſæculum non deſinam.* Ubi deſcribitur ordo intentionis Prædeſtinationis MARIÆ, ſequiturque ordo executionis *& in habitatione ſancta coram ipſo miniſtravi, & in Civitate Sanctificata ſimiliter requievi, & in Jeruſalem poteſtas mea, & radicavi in populo honorificato, & in parte Dei mei hæreditas illius, & in plenitudine Sanctorum detentio mea.* Alia innumera omitto, & ſolùm adduco, cap. 12. 2. ad Corinth. verſ. 3. & 4. *Et ſcio hujuſmodi hominem, (ſivè intra corpus, ſive extra corpus, neſcio, Dominus ſcit) quoniam raptus eſt in Paradyſum, &c.* Super quæ Cornelius: „ *Alij*, & fortè probabiliùs cenſent, verè, & „ realitèr raptum fuiſſe Paulum in „ Cælum *Empyreum.* Quod probat; & aliquibus interjectis, pergit.

293. *Jam*, ſi realis fuit raptus animæ, & anima manſit corpori con- „ juncta, (ut dixi hujus verſùs ini- „ tio ad illud, *ſive in corpore*) vi- „ detur, & Pauli corpus cum animâ „ raptum eſſe in Paradyſum: Hoc „ enim Deo æquè eſt facile, atque „ ſolam animam rapere, & congruũ, „ dignumque Paulo, qui non Ju- „ dæorum tantùm, ut Moyſes, ſed „ & gentium omnium Cæleſtis fu- „ turus erat Doctor, & Apoſtolus, „ ut totus è Cælo, & Dei alloquio, „ quaſi alter Moyſes prodiret: ergò ſi non obſtantibus legibus ordinarijs raptus fuit Paulus cum corpore, & animâ realitèr in Empyreum, & hoc congruum erat, quia futurus erat Apoſtolus gentium, quid mirum, ſolam Animam conditam fuiſſe in Cælo Virginis illius, quæ futura erat Mater Dei, & Regina Angelorum, ac hominum? Et ideò fortaſſè dicit Textus Apocalyp. 12. *Draco ſtetit ante Mulierem,* quia cùm ipſe à tergo calcaneo inſidias paraverit, ut per Corpus naturalitèr propagatum Marianam Animam macularet, ſe vidit contritum à Fæmina, dum ante corpus informatum Virginis Anima creata in gratia, cui inſidiabatur calcaneo Draco, ſtetit ante Mulierem, cùm Anima Virginea creata, & priùs ſanctificata, quàm corporata ſerpentinum caput coram facie Omnipotentis, ejus oculis gratioſa victrix protriverit.

§ III.

Argumenta contraria.

294. OBjicies illicò ſanctum Leonem Papam, Epiſt. 11, contra Eutychem:

Ani

„ *Arbitrer enim, talia proloquentem, hoc*
„ *habere persuasum, quòd Anima, quam*
„ *Salvator assumpsit, priùs in Cœlis sit*
commorata, quàm de MARIA Virgi-
„ *ne nasceretur, eamque sibi Verbum in*
„ *utero copularet. Sed hoc Catholicæ*
„ *mentes, aure*s*que non tolerant*: ergò si Anima Christi Domini non fuit creata in Cælo, nec fuit Anima Beatæ Virginis. Confirmatur: ante Christi mortem nulla anima, quantumvis sancta introivit in Cælum. Ita Corn. super Epist. ad Hebræos 11. inquit:
„ *Ex hoc* loco PP. & Theologi colli-
„ gunt, ante Christi mortem nullam
„ animam, quantumvis sanctam in-
„ troisse in *Cœlum.* Et Maldonado in
„ 3. Matthæi: *appropinquavit Regnum*
„ *Cœlorum*: credimus, inquit, licèt
„ Hæretici negent, neminem ante
„ mortem Christi in Cælum ingres-
„ sum, quod non veteres solùm Au-
„ thores, sed etiam Paulus, tam pers-
„ picuè docet, ut mirer istos, aut
„ tam cæcos esse, ut non videant, aut
„ tàm obtusos, ut non intelligant.
Innumeræq; aliæ authoritates, quæ videri possunt in P. Joann. Marin, de Incarn. disp. ult. sect. 4.

295. Respondeo in primis, S. Leonem loquutum fuisse de Anima Christi Domini, contra Eutychem, & alios Hæreticos defendentes, omnes animas creatas fuisse ante corpus, cujus authoritati jàm responsum dedimus in disp. 1. sect. 5. §. 1. Aliæ authoritates solùm loquuntur de ingressu stabili, non transitorio in Cælum, qualem nos asserimus de Anima Virginis, quippe Sancti PP. loquuntur de ingressu in Cælum per statum Beatificum, & quamvis detur lex, ut nemo Viatorum ingrediatur in Cælum, tamen Divus Paulus ingressus fuit in statu passibili ante mortem, quia de hoc ingressu transitorio non loquuntur Scripturæ, & PP. & quãvis daretur lex generalis de ingressu etiam transitorio, non comprehenderet Virginem. Audiatur ipse Pater Marin in citata disp: sect. 1. à n.
„ 3. sic loquens: *suppono* 3. Leges
„ univeasales non loqui cum B. Vir-
„ gine, si pœnales sint.

296. Hoc constat ex Ulpiano L. Princeps ff. de Legibus: Princeps
„ legibus subditus non est. Augusta
„ verò, licèt sit subdita, Princeps ta-
„ men eadem privilegia illi conce-
„ dit, quæ ipse habet. Et ratio id
„ suadere videtur, quia sunt aliquæ
„ Communitates habentes privile-
„ gia, ut cum illis non loquantur
„ leges pœnales, nisi specialiter no-
„ minentur; sed Beata Virgo est su-
„ pra omnes Communitates: ergò
„ ratio postulat, quòd leges penales
„ universales non loquantur cũ Bea-
„ ta Virgine, nisi specialitèr nomi-
„ netur. Confirmatur ex Estheris
„ 15. Ubi Assuerus de Lege gene-
„ rali dicit: *non enim pro te, sed pro*
„ *omnibus hæc lex constituta est*; sed
„ Ecclesia intelligit, Beatam Virgi-
„ nem figuratam esse in Esthere: er-
„ gò Leges generales pœnales non
„ loquuntur de Beata Virgine, nisi
„ specialitèr nominetur. Et quidem
„ jure: quia ratio postulat, ut quæ
„ est supra legem, & regulam gene-
„ ralem, non sit sub legibus gene-
„ ralibus. Hoc, quod verum est ab-

lo-

,, absolutè loquendo de lege pœnali, specialiter est verum, dum de peccatis agitur. Id constat ex Trid. sess. 5 *B. Virgo non venit in loquutiones generales, dùm de peccatis agitur.* Et August. cap. 36. de Naturâ, & Gratiâ ... *Exceptâ Bmâ. Virgine, de quâ, dùm de peccatis agimus, nullam prorsus volo haberi mentionem.*

297. Hac ratione hæ propositiones universales, Job 14 *Nemo mundus à sorde.* 2. Palaripomenon 6 *Nō est homo qui nō peccet.* Ad Rom. 5 *Omnes in Adā peccaverunt.* Can. 6. & 8. Milevitani, *omnes verè posse dicere, dimitte nobis debita nostra:* & similes non loquuntur de B. Virgine, quià, ut supponimus ad præsentem quæstionē ex disp. 7 sect. 3. B. Virgo nec contraxit originale, nec peccavit in Adamo. Similiter, sicut leges generales de peccato non loquuntur cum Bmâ. Virgine, ita non loquuntur cum illâ leges generales latæ occasiōe, & causâ peccati. Hac ratione lèx fomitis non loquebatur cum Bmâ. Virgine, ut dicit Div. Bernardus Epist. 174. & Divus Thomas hic quæst. 27. art. 3. & est communis DD. Lex: *in dolore paries* Genesis 3. non loquebatur com Bmâ. Virgine, neque lex: *in pulverem reverteris.* Quod adeò certum est, ut August. apud Suarez tom. 2. in 3. part, sect. 5. dicat lib. de Assump. cap. 4. & 10. ,, *Quamquam* authoritate non cogeretur, propter solam vim rationis sentire se non posse, carnem Virginis vermibus, & corruptionibus fuisse *traditam.* Et Suarez ibi. *Ex* quibus veluti inductione concludit; mysteria gratiæ, quæ Deus in Virgine operatus est, non esse ordinarijs legibus metienda, sed divinâ Omnipotentiâ, suppositâ rei decentiâ absque ullâ Scripturarum contradictione, aut *repugnantiâ.*

298. Ad Christi Domini paritatem facilè respondetur, quòd cùm Christus secundùm Personalitatem fuerit ab æterno genitus, & de Cœlo in tempore descenderit, jam planè intelligitur homo cœlestis, maximè, cùm non detur fundamentum ad asserendam creationem ipsius benedictissimæ Animæ in Cœlo, ut jam sectione suprà citatâ diximus, quòd fundamentum habemus ad asserendam creationem Animæ Virgineæ in Cœlo. Præsertim, cùm optimè judicetur, Maternitatem Dei metaphysicè connexam esse cum Virginitate; fundamento sumptò ab eô, quòd sit participatio Paternitatis Divinæ necessariò Virgineæ: ita ut sicut Pater Virgo generat Deum Filium, sic Virgo Mater Deum ipsum Filium generaret. Iccirco decuit, posito, quod Pater non descendit de Cœlo, in ipso Empyreo acciperet Anima Virginea adeò maximam dignitatem. Neque derogatur excellentiæ Christi Domini, ut ipse P. Marin disp. citata, sect. 4. n. 19. & 20. dicit per hæc verba: *Objicies Joann. 3. nemo ascendit in Cœlum, nisi qui descendit de*

Cœlo: ubi Sancti Patres ly ascendit intelligunt de præterito, quasi dicat, nullum ascensurum in Cœlum, donèc ascendat, qui descendit de Cœlo. Quod clariùs constat ex Michæà 2. *ascendit, pandens iter, ante eos;* & in illud Joann. 14. *si abiero, & præparavero vobis locum,* ait Cyrillus apud Corderium in catenà: *inaccessum erat omnino Cœlum hominibus; primus autem ascensum ad illud præparavit Christus, & modum eò ascendendi dedit carni nostræ, cùm à mortuis resurrexit, & se se Deo stitit; ac primus homo in Cœlis apparuit,* Et Suarez tom. 2. in 3. part. disp. 51. sect. 2. ait *sicut Christus fuit primus resurgentium ad vitam gloriosam, ita decuit, ut esset primus ascendentium ad locum Cœlestem.* Et S. Leo serm. 1. de Ascensione: *hodie Paradysi possessores firmati sumus.* Quod idem docet Div. Thomas quæst. 48. art. 5. ad 4. Et Gregorius homil. 9 in Evang. *carnis enim locus proprius terra est, quæ quasi ad peregrina ducitur, dum per Redemptorem nostrum in Cœlo collocatur,* Et ad hoc ait perdoctè ipse P. Mario num. 20.

299. „ *Verum* esse in hac providentià, & juxta præsentem legem, quà Deus decrevit, quòd B. Virgo superviveret, ut maneret solatium, & Magistra Apostolorum, Christum per ascensum pandisse januas Cœli, ivisse ad parandum nobis locum, sumpsisse pro nobis possessionem Cœli. Similiter non esse decens, ut dicit Eximius Suarez, quòd alius ex mortuis, seu qui mortui essent in se, vel in peccato Adami, priùs ascenderet in Cœlum, quàm Primogenitus mortuorum. Similiter verum est; quòd si B. Virgo ascenderet ad Cœlum ante Christi ascensum, id haberet ex meritis Christi. Intendimus ergo, quòd sicut non opponitur excellentiæ Christi, nec Primogenituræ Christi, quod Angeli de facto fuerint Beati in Cœlo Empyreo ante Christi ascēsum, quia hæc anterioritas temporis in Beatitudine habita est ab Angelis ex meritis Christi, & innumeris alijs titulis exceditur à Beatitudine Christi; & sicut non opponeretur huic excellentiæ, & Primogenituræ Christi, quòd Adamus, si non peccasset, nec peccassent reliqui posteri Adam, ante Christum ascenderet ad Cœlum ex meritis Christi; quia non habebat obstaculum, nec esset ratio, ut ipsi essent clausæ januæ Cœli; similiter intendimus, quòd cùm B. Virgo ex meritis Christi non peccaverit in Adamo, nec cum ipsa loquantur leges latæ per peccatum de non ingressu in Cœlum ante Christi ascensum, cùm non haberet impedimentum ascēdendi, posset ingredi in Cœlum ex meritis Christi, ante Christi ascēsum, si esset major Gloria accidentalis ascendere in *Cœlum.*

300. Igitur si in re difficiliori, qualis est descensus Virginis in sinum Abrahæ, casu, quo mortua fuisset ante Christum, visio intuitiva

tiva Dei, & essentialis beatitudo, & apertio Cœli conceditur Bmæ. Virgini probabiliter, non obstantibus Scripturis, & Patribus, cur res facilior non est concedenda Virgini, cùm militet maximum fundamentum innixum in mirà ejus præservatione ab originali? Neque obstat authoritas Divi Thomæ, quæst. 27. art. 1. dicentis: *Beata Virgo non fuit libera à reatu, quo tota natura tenebatur obnexia, ut scilicet, non intraret in Paradysum, nisi per Christi hostiam, sicut de Sanctis Patribus dicitur, qui fuerunt ante Christum.* nam creatio animæ intra corpus non pertinet ad reatum naturæ, sed ad ejus exigentiam naturalem, quæ non violatur per creationem singularem animæ extra corpus, ac proinde nec per creationem in Cœlo; maximè, cùm primum sit connaturaliter necessarium ad præservationem per gratiam in lineà physicà, & secundum valdè congruum Virginis excellentiæ, & dignitati.

SECTIO III.
De Virginis Gloria.

§. I.
Quid de Virginis Gloria senserint Theologi communiter?

301. F. Carolus del Moral, Toletanus Seraphicæ Observantiæ Filius, ornamentum, & immortale decus, tom. 1. suæ Theologiæ Scoticæ Marianæ, tract. 2. disp. 2. quæst. 3. eruditè congerit, quæ ad prædestinationem Deiparæ pertinent, in primisque quæstionem instituit: an B. Virgo ab instanti Conceptionis permanenter visione beatificà functa fuerit, ita ut ab instanti Conceptionis fuerit in Beatà Virgine visio beatifica, ita continua, ut semper permanês duraverit, dum extit t viatrix? Ejusq extrinsecam, & intrinsecam probabilitatem toto articulo 1. elucidans conglobat Authores primæ notæ, & Authores valdè efficaces. Et ut videas, nihil è nostro penu nos ponere, subdam, quæ affert à num. 8. art. 1.

302. „ *Cùmque* ipsum modum „ componendi simul gloriam per„ manentem Deiparæ cum statu „ viæ approbet noster Illustrissi„ mus Guerra, addit tamen, ut pro„ babilem alium longè difficilio„ rem: peculiaris, ait, difficultas „ est, si dicatur, quòd in primo „ instanti, & gratia, & gloria in „ summo ipsi collata fuerunt; sed „ probabile est, quòd de ratione for„ mali viæ, non tam est tenden„ tia ad terminum, ut apprehen„ datur, & possideatur, quàm ten„ dentia per merita ad tale præ„ mium; quare illa ratio meren„ di videtur constituere essentia„ liter rationem viatoris, qua per „ meritum tenditur ad terminum, „ & ambulatur ad præmium: un„ de quamvis gratia, & gloria, quæ „ est terminus meriti, jam sit in „ termino, quantùm ad sui inten„ sionem; quia tamen habens hæc

,, omnia non dùm illa perfectè, &
,, adæquatè promeritus est, sed po-
,, tiùs actu est in tendentia meri-
,, ti, idcirco viatoris nomen, &
,, rem juremerito retinet. Sic in
,, Virgine quoad præsens: quomo-
,, dò autem sit tendentia ad meri-
,, tum jam possessum, sic explicat:
,, decrevit Deus, quòd tota illa
,, gratia, ac gloria sub meritum Vir-
,, ginis caderet per actus omnes ab
,, ipsa præstandos, ac si post actus
,, ipsos conferretur, ut in nobis de
,, facto accidit; hoc posito decre-
,, to, non reputatur inconveniens,
,, nunc conferri, quod posteà pro-
,, merendum est. Ratio hujus est:
,, quia non est de essentiâ præmij,
,, quòd semper sequatur meritum,
,, vel de ratione meriti, quod sem-
,, per antecedat præmium; sat enim
,, est, quòd prævideatur præmium,
,, ut finis meriti, & meritum, ut
,, medium ad præmium consequen-
,, dum, sive quantùm ad existen-
,, tiam præcedat, sive subsequatur;
,, quod patet in omnibus gratijs, &
,, donis collatis Angelis, & S S. P
,, P. ab initio sæculi virtute me-
,, ritorum Christi Domini, quæ
,, subsequuta sunt ejusmodi gratia-
,, rum *collationem.* Ita hic Illustris-
simus Scotista.

303. Alium modũ subdit, magis adhuc difficilem, quàm prædictum, nempe Deiparam in primo suæ Conceptionis instanti meruisse primam gloriam, quam tunc accepit, ita, quòd in aliquo priori naturæ præcesserit meritum per gratiam, & in aliquo posteriori naturæ gloria collata fuerit ipsi per modum præmij. Ratio ipsius est: quia non est omninò necessarium, quòd meritum antecedat tempore præmium, sufficit, quòd naturâ solùm: patet de factò: nam Justus meretur per bona opera augmentum gratiæ, quod habet rationem præmij, & tamen in eodem instanti, in quo illud meretur, recipit illud: quia tamen status viæ debet esse status fidei in vitâ mortali, quæ secundum communem legem in hoc mundo largitur, ait, quòd hoc meritum per gratiam ita fuit, ut per habitum fidei B. Virgo in instanti suæ Conceptionis pro aliquo priori naturæ crediderit omnia, quæ quilibet alter viator per totum vitæ transitum credere potest, & hoc longè, latèque perfectiori modo, ut constat.

304. Posteà verò in secundo instanti naturæ elicuerit actum amoris, & reliquarum virtutum, per quas se disposuit ad gratiam, & promeruerit de condigno gloriam, quam in eodem instanti temporis, licèt in alio posteriori naturæ habuerit. Ex tunc ergo in Sacra Virgine per visionem, & fruitionem existente beatâ cessabit fides actualis omnium objectorum, quæ in Verbo videbat, sed non cessabit in ipsâ ratio viatricis in ordine ad alia objecta, quæ tunc non manifestabantur in Verbo. Probatur hoc à paritate sententiæ probabilis aliquorum Thomistarum, sic intelligentium Divum Thomam ad quæst. 56. 1 partis; qui asserunt probabiliter,

litèr; quòd Angeli in primo instanti suæ creationis adepti sunt in aliquo posteriori naturæ, quam in priori naturæ meruerunt gloriã.

305. Et in illo priori fuerunt viatores, cùm dracone præliati sunt, ipsum deviceruut, & tandem in alio posteriori naturæ palmam adepti sunt. Si dicas, quòd ob mensuram actuum horum requiritur instans temporis, facilitèr respondet, quòd res illa, quæ est merè spiritualis, & à phantasmatibus non dependens, non mensuratur in duratione suà per ordinem ad durationem rerum materialium, & ita non exposcit ad sui mensuram instans temporis. Quod inde patet: quia est res omnibus modis æviterna: unde mensuratur in instantibus illis, quibus comparatis cum lineà temporali, & rerum materialium mensura, non correspondet instans totum temporis, sed instans naturæ. Aliqui (præcavet instantiam) ait, non judicant inconveniens, quòd isti actus, etsi existant in instanti temporis, fiat in primo, & desinant in secundo naturæ instanti.

306. Ex his hanc eruit ad nostrum principale intentum rationem: „ *quidquid* est de facto puræ creaturæ concessum, perfectiori modo est tribuendum Deiparæ, quòd adeò verum est, ut dixerit Albertus Magnus lib. de Virgine, cap. 70. & 71. *principium est terminis per se notum, B. Virgini perfectiùs collatas esse omnium Sanctorum gratias; ideò fundamenta ejus in montibus sanctis proclamantur.* „ Jam sic: sed juxta citatos Thomistas, Angelis collatum fuit in primo instanti mereri, ut viatores; per fidem, & gratiam præmium, quod in eodem instanti, licèt pro posteriori naturæ adepti fuerunt: ergo Deiparæ ipsum hoc perfectiori modo tribui *debet*.

307. Hactenùs citatus, qui prosequitur mirabilia de Virgine depromens. Nam quid excellentius, quàm habere in primo Conceptionis instanti, non modò gratiam immensam, sed etiam consummatam, meruisse suam gloriam, & gloriam hanc illi fuisse permanentem? Verè Deus fecit potentiam in brachio suo, præsertim cùm non levibus fundamentis isti Theologi innixi ad suam conclusionem stabiliẽdam procedant. Respondet argumentis contrarijs clarissimis, & in alijs minoribus Virgine concessis rationibus: ut videre est apud ipsos Authores in locis jam citatis, quos de verbo ad verbum transcripsi meo solito more, ut puriùs sensus illorum percipiatur.

§. II.

Quid de magnitudine Gloriæ Deiparæ Theologi senserint?

308. Ipsemet F. Carolus del Moral tract. 2. disp. 2. quæst. 2. varijs suppositionibus factis, art. 1. suum sensum aperit art. 2. quippè asserit: corona, & præmium correspõdens meritis Deiparæ valoratis gratià habituali, & gra-

gratiâ Maternitatis, ad quam Deus ipsam prædestinavit, est summa gloria possibilis, cujus est capax pura creatura. Quod probat clarissimis authoritatibus, præsertim desumptis ex Ubertino de Casalis lib. 4. Arboris vitæ cap. 41. meritò ait: „ *glorificationem* V. MARIÆ Matris Dei dixerim fontem divinitatis JESU plenariæ reseratum; ipsa enim tantùm accepit de Dei gloriâ, quantùm est puræ creaturæ donabile in *æternum*.

309. „ *Et* proportionaliter plus ei, quàm omnibus creaturis simul sumptis datum est; sicut enim cæteris in via per partes dantur gratiæ, in MARIA autem se tota effudit plenitudo gratiæ, sic & in patriâ divinæ gloriæ participatio quodammodo per partes datur; sed MARIA totam Trinitatis penetravit abyssum, & quantum est possibile creaturæ sine personali unione luci increatæ est *immersa*. Adjicit etiam ad suum intentum inter alios Albertum Mag. serm. 3. de Assump. dicentem: *Virgo MARIA soror Dei appellatur propter vitæ conformitatem, & hæreditatis identitatem.* Ubi pro hæreditate verè videtur intelligere gloriam: quia in Matre, & Filio fuit summè possibilis, ultra quam major nequeat dari, proportione servatâ inter creaturam puram, & Deum hominem.

310. Affert etiam rationes concludentes: nam Deus confert præmium juxta adæquationem meritorum; sed merita Deiparæ valorata sunt à gratiâ habituali, quæ fuit in ipsâ secundùm totam intēsionem possibilem, ita ut nec divinitùs potuerit dari intensior, ut probat tractatu sequenti; pariter valorata dignitate Maternitatis Dei formaliter justificantis, tribuentisque jus proximum, & formale ad summam gloriam extensivè ex parte objecti dabilem in purâ creaturâ, ut probatum relinquit num. 10. hujus quæstionis, suaque merita adæquantia gloriam intensivè, & extensivè summam possibilem in purâ creaturâ: ergo præmium collatum Deiparæ, ut corona suorum meritorum, & ad quod fuit à Deo prædestinata, est gloria extensivè, & intensivè ex parte objecti summa possibilis in purâ creaturâ.

311. Denique probat conclusionem: præmium gloriæ Deiparæ est proportionatum debito cōgruentiæ, & decentiæ suæ altissimæ dignitati Matris Dei; sed hoc præmium est gloria summa possibilis intensivè, & extensivè ex parte objecti in purâ creatura: ergo & gloria ita summa est. Minorem probat: si Maternitati Dei non deberetur proportionaliter, & congruentialiter summa gloria extensivè, & intensivè ex parte objecti, Maternitas Dei non est dignitas summa, & major, quæ excogitari valet in purâ creaturâ, quandoquidem major dignitas foret illa, cui deberetur talis gloria summa possibilis; quod confirmatur authoritate Angelici 3. part. quæst. 27. art. 5. in corpore dicentis: *quantò*

mag

magis aliquid appropinquat principio in quolibet genere, tantò magis participat effectum illius principij: ergo si ratione Maternitatis summè appropinquat Virgo Deo, summè participat de Deo beante.

312. Afferit 2. quòd gloria Virginis est summa extensivè ex parte objecti: quia ultra videre in Verbo omnia possibilia extenditur ad videndum in ipsamet Essentia Divina omnes creaturas, tam præteritas, quàm existentes, & futuras, etiamque opera, & cogitationes omnium illarum. Probat 1. Deipara in patriâ videt in Verbo omnia, quæ ad statum suum præeminentissimum pertinent, juxta illam regulam generalem, quam statuerunt Theologi, & etiam Div. Thomas 3. *part.* quæst. 10. art. 2. in corpore, & 4. contra gentes, cap. 5?. scilicet, Beatos videre in Verbo omnia, quæ pertineut ad suum statum; sed ad statum præeminentissimum Matris Dei pertinet omnes creaturas, tam præteritas, quàm præsentes, & futuras, & cogitationes illarum attingere: ergo omnia hæc videt in Essentiâ Divina in Cœlis coronata.

313. Minorem probat ex P. Zalasar loco suprà citato dicente: communis sententia Scholasticorum tenet, quòd Beati omnes cogitationes, & consilia eorum, qui aliqua ratione ad ipsos pertinent, in patriâ cognoscunt, nimirum Parentes filiorum suorum, & capita communitatum suorum subjectorum, & alia ejusdem generis; atqui ad Virginem Deiparam spectant omnes homines, quia eorum est suprema Regina, etiamque omnes Angeli ob eamdem rationem; insuper tamquàm Mater gratiæ, nedùm hominum, sed etiam Angelorum est Mater amantissima: ergo nedùm omnes Angelos, & omnes homines, sed etiam eorum cogitationes, & operationes ad ipsam attinet in Verbo cognoscere; quia ut Mater Dei, Mater, & Regina præfulget hominum, & Angelorum.

314. Non intendit hac, & sequentibus rationibus suadere, quòd videat in Verbo omnes creaturas possibiles, hoc quippè probatum reliquit conclusione antecedenti: nam in anteriori articulo constat, non repugnare, & possibile esse, Beatum videre omnia possibilia in Verbo, consequenter dicendum est, hoc de facto habere Deiparam, cùm ex SS. PP. constet, visionem ejus beatificam esse summam possibilem in purâ creaturâ. Quæ omnia limitat in 3. conclusione defendens, aliqua esse, quæ singulariter ad Christum, & ejus cogitationes pertinent, quarum visionem in Verbo, verosimile est, Deiparæ de facto occultari.

315. Hanc doctrinam judicat conformem doctrinæ Suarij, & Novati numer. 18. cit: quia Christus Dominus, ut supremus Judex vivorum, & mortuorum, & Legislator gratiæ, in quo munere Legislatoris, non habuit in sua Matre comitem, aliqua futura contingentia cognoscit, quæ peculiariter pertinent:

tinent ad ipsum; ut Legislatorem, & Judicem, & de ipsis singulariter exponere attinet; sed hoc ipso hæc oportet Deiparæ occultari: ergo. Probat minorem: quia hoc ipso, quòd specialiter pertineant ad munus non communicatum Deiparæ, non est titulus, vi cujus ipsi manifestentur; nec ratione status, dignitatis, & officij Matri debetur eorum cognitio: ergo eò ipso occultatur.

§. III.

Ampliatur idem assumptum.

316. IDem Author totum articulum tertium insumit in respondendo argumentis excogitatis contrà suas assertiones: & quia tàm ex parte arguentium, quàm respondentis magis elucidatur Mariana gloria, placet hîc principaliora delibare. In objectione 2. sic procedit: præcisè per hoc, quòd sit possibile puræ creaturæ, & cedat in majorem honorem, & gloriam Deiparæ, in ipsam redundantem, non datur sufficiens fundamentum, ut ei concedatur: quia aliqua sic sunt possibilia, & tamen negantur ipsi, ex eò, quòd non decet, & congruit illa ipsi concedere, ut immortalitas, potestas sacerdotalis consecrandi Corpus Christi, & ligandi, atque solvendi, ac potestas fundandi Ecclesiam, instituendique Sacramenta; at illa extensio gloriæ videndi in Verbo omnia possibilia non congruit ipsi ratione Maternitatis: ergo.

317. Patet assumptum: quia possibilia, quæ nunquam erunt, & ex decreto Dei sunt determinatè non futura, nullatenùs pertinent ad aliquod munus Deiparæ, nec ut finis, & exemplaris omnium, nec ut Corredemptricis, nec ratione status eminentissimi, ad quem ut Mater Dei est evecta. Ad quod respondet, quòd congruentia Maternitatis est ad videndum in patriâ omnia possibilia, etiam quæ minimè transeunt ad statum futuritionis, & existentiæ: quia congruentialiter hæc scientia beata pertinet ad statum Matris Dei. Ratio est: quia congruebat ipsam Deiparam cognoscere suum statum esse summum, ultra quem major non erat possibilis, pariter, & cognoscere, se esse exemplar adeò summè perfectum creaturarum, ut in pura creatura perfectius esset impossibile.

318. Ut ergo has excellentias perfectissimè cognosceret, debebat attingere omnia possibilia, etiam quæ nunquã erunt, ut ex cognitione perfectionis omnium sibi constaret, nihil esse, quod eam posset in pura creatura excedere perfectione supernaturali, aut ad eminentiorem statum vi gratiæ altissimè sublimari. Iam prope medium dixerat: si dicas; quòd etiam est possibile, hanc scientiam habere puram creaturam ab instanti conceptionis in viâ, non negabo; at Deiparæ solùm concedenda est in patriâ: quia non decuit Matrem Dei simul fuisse viatricem, & comprehentricem, cùm hoc solùm sit

debitum congruentiæ ratione unionis hypostaticæ; & se refert ad sectionem sequentem, ubi iste Doctor, non se inclinat ad visionem Deiparę permanentem, quamvis hoc ut probabile suadeat, & approbet. Posteà rationem subdit, qua defendi possit, Virginem, etsi transeunter, habuisse à Conceptionis instanti hanc visionem extensivè summam, quia nimirùm decebat, ipsam cognoscere ab instanti suæ Conceptionis, suam dignitatem esse inter omnia possibilia summam.

319. Objicit sibi 3. ex Saavedra, vestigatione 2. quæst 5. quam ipso teste tractavit nullus; an scilicèt ratione Sanctitatis Maternalis correspondeat Virgini aliquis gradus gloriæ, qui primò, & per se non correspondeat meritis supernaturalibus Virginis? Quam difficultatem resolvit affirmativè, ita ut existimet, non esse improbabile, Deiparam de facto aliquos gradus gloriæ esse consequutam jure Maternitatis, non tamquàm præmium, sed per modum dumtaxat hæreditatis. Undè sic arguit: Gloria tàm intensivè, quàm extensivè summa non correspondet tota meritis ipsius: ergo in gradu summo dicto non est corona, & præmium illorum meritorum. Confirmat, quia Infantes baptizati, dum moriuntur ante usum rationis, consequuntur gloriam dumtaxat tamquàm hereditatem ratione gratię habitualis, qua constituuntur Filij Dei; sed excellentior Filiatio, qualis est Deiparæ ratione Sanctitatis Maternalis, non est deterioris conditionis: ergo ratione istius debetur Virgini peculiaris gloria, ut hæreditas.

320. Ex alijs, quibus huic objectioni satisfacit, hanc responsionem seligo à numero 35. propè medium: „ *Vade Filiatio* specialis Virginis proveniens ex speciali sanctitate Maternitatis, estò exposcat specialem hæreditatem gloriæ, non ipsā consequitur tantùm sub ratione hæreditatis, sed etiam sub ratione præmij meritorum: quia operibus valoratis, & dignificatis à speciali sanctitate Maternitatis potuit illam mereri, & de facto meruit, cùm à Deo non fuerit ipsi collata ab instanti Conceptionis suę prævenicndo omne meritum, & quoties ex liberalitate donantis non est præventum omne meritum, & potest aliquid mereri, gloriosiùs est illud habere ex meritis, quàm sine ipsis. Constat ex superioribus dictis articulo antecedenti. Nec proprietatem omnium rerum fuisse in Christo Domino, dumtaxat sub ratione hęreditatis, est absolutè verùm: quia ut Redemptori totius Universi debebatur in premium meritorum suæ passionis, & mortis. juxta illud: *Si posuerit animam suam, videbit semen longævum*, quod longævum semen expiratur magis per illud Psalmi: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam & possessionem tuam terminos terræ* Objicit sibi 4. & ultimò: dabilis est de facto casus, in quo detur adulto gloria præcisè ut hereditas ratione gratiæ habitualis; sed non est negandum Deiparæ, quòd vi gratiæ

alicui creaturæ mortali conceditur: ergo Deiparę cōcedendum est, quòd vi sanctitatis Maternitatis detur gloria debita ipsi ratione illius præcisè ut hæreditas, & non ut corona. Major hujus discursus probatur ex non improbabili sententia aliquorum Theologorum, uti sunt Vega opusc. de justific. quæst. 6. in solut. ad 9. & apud Zumel, tom. 2. in primum, quæst. 114. art. 5. scilicèt, ultimam dispositionem ad gratiam non esse meritoriam primę gloriæ; sed hanc correspondere justificato præcisè ut hęreditatem; & dumtaxat ex meritis Christi Domini.

321. Undè ex continuatione actuum, qui fuerunt ad gratiam dispositiones, meretur justus augmentum glorię, sicut augmentum gratiæ; sicque autumant, nec primam gratiam, nec primam gloriam posse esse præmium meritorum justi: ergo de facto juxta hanc sententiam datur adulto gloria præcisè ut hæreditas.

322. Respondet: hoc argumentum nullam habere vim, adhuc data veritate dictæ opinionis. Ratio est: quia estò in dicta sententia prima gloria non cadat de facto sub meritum, non negat citata opinio, quòd possit mereri; at id, quòd potest mereri, & liberalitate donantis non confertur pręveniendo hoc meritum, gloriosiùs est haberi ex meritis, quàm sine ipsis: ergo quamvis alicui creaturæ sine meritis elargiretur, Deiparę tamen propter merita elargiendum est.

323. Nec dicas, pertinere ad gloriam Sanctissimæ Virginis, quòd gloriam utroque modo assequatur: nam si hoc intelligis, ut gloria, quæ ut hęreditas debetur jure filiationis, etiam possideatur ut corona jure meritorum, non negatur, imò debet concedi, sicut conceditur omnibus justis adultis, qui coronantur in Cælis; verùm si intelligas, ita ut una gloria detur dumtaxat ut hæreditas, & alia ut corona, falsum est propter rationem datam; omnis enim gloria collata Deiparæ in Cælis potuit ab ipsa mereri in via, & cùm solùm sit collata in Patria, non fuit præveniens omne meritum ex liberalitate præmiantis.

SECTIO IV.

Quid asserant Theologi de gloria accidentali Virginis?

§. I.

Quid de gloria accidentali Virginis subjectiva Theologi cogitaverint?

314. PRincipalis gloria accidentalis subjectiva, & passiva Deiparæ stat in dotibus gloriosis suæ Beatissimæ Animæ, & Corporis. Dotes gloriosæ Animæ parùm differunt à visione, & fruitione, in quibus beatitudo essentialis cons

consistit. Etenim communitèr assignantur à Theologis in omnibus Beatis tres dotes animæ, visio scilicèt, comprehensio, quæ ab alijs vocatur apprehensio, seù tentio, & fruitio, quæ adæquatur ex dilectione, & delectatione. Tres autem operationes istæ à beatitudine formali, quæ in sola visione Dei, juxta Thomistas, consistit, & à fruitione beatifica, quæ juxta communiorem sententiam Scotistarum, & plurium Jesuitarum, consistit in utraque operatione, solùm differunt penès diversa connotata. Undè cùm in Deipara visio, & fruitio beatifica sint in gradu summo, ita ut infra Deum non sit possibilis intensior visio, nec fruitio; hinc fit, has dotes Animæ Virgineæ gloriosissimæ fuisse summè perfectas, ita ut perfectiores non sint possibiles in pura creatura.

315. De dotibus sui corporis gloriosi dicendum est etiam, gradu summo possibili in ipsa esse. Ratio est: quia juxta omnium Theologorum sententiam, ut meritò Mastrius disp. 18. de judicio universali, quæst. 4. art. 5. num. 127. gloria accidentalis consequitur essentialem, eique proportionatur, & commensuratur; at gloria essentialis Deiparæ est summa in gradu summo possibili in pura creatura: ergo hæc accidentalis dotium sui gloriosi corporis in ipsomet summo possibili gradu perfecta debet adstrui. Legat, cui placeat, cap. 6. in speculo Beatæ Virginis Seraphici Bonaventuræ, ubi sic incipit tali: *quodlibet enim corpus glorificatum habet quatuor dotes gloriosas, videlicèt dotem miræ claritatis, dotem miræ subtilitatis, dotem miræ agilitatis, & dotem miræ impassibilitatis: & si omnium Beatorum corpora his quatuor dotibus Deus glorificavit, quantò magis corpus istud, quod ipsum Glorificatorem corporum omnium genuit?*

316. Ultra explicatas dotes pertinent ad prædictam gloriam accidentalem *laureola*, nihil enim aliud significat in beatis laureola, quàm accidentale præmium, seù coronã, ex operibus quibusdam privilegiatis à Deo concessum, quod redundat in corpus, signo aliquo speciali tale præmium significans. Theologi sequuti SS. PP. hanc laureolam concedunt Virginibus. Habere autem Virginitatis laureolam, quis dubitet in Regina Virginum, voto à principio consecrata sua Virginitate, divino exaltata puerperio, gaudia Matris habente cum Virginitatis honore? Igitur hæc laureola competit Virgini in modo possibili excellentissimo Quommodò hæc laureola cõpetat Virgini in summo gradu purissimæ, cùm non habuerit fomitem, nec concupiscentiam? Videantur hac super re Mastrius, & alij Theologi.

317. Laureolam Doctoratus obtinuisse Deiparam, probatur: quia Beata Virgo excellentissimo modo fuit fidei Magistra, & Ecclesiæ, & Apostolorum doctrix: quam veritatem firmat laudatus Moral. quæst. 3. disp. 2. tract. 2. art. 6. num. 29. 30. 31. Nunc tantùm proferam aliqua testimonia ex PP. Eusebius in Evangelium de festo Assumption. inquit:

,, *ab ipsa* Apostoli plura audierunt,
,, & ipsa dictante scripserunt, nobis-
,, que legenda *mandaverunt*. Sanctus
Anselm. lib. de excellentia Virgi-
,, nis cap. 7. inquit: *licet* Apostoli
,, per revelationem Spiritus Sancti
,, edocti fuerint omnem veritatem
,, incomparabilitèr, eminentiùs ta-
,, men, & manifestiùs ipsa per eum
,, Spiritum veritatis profunditatem
,, intelligebat, & ex hoc multa eis
,, per hanc revelabantur, quæ in se
,, non solùm simplici scientià, sed
,, ipso effectu, atque experientià
,, didicerat è Mysterijs *Christi*. Al-
bertus Magn. super *missus est*, cap. 117.
,, sic inquit: *Maria* conservabat om-
,, nia verba hæc: ubi Sancti dicunt,
,, quòd ideò conservabat, ut oppor-
,, tunis temporibus ad scribendum
,, Evangelistis revelaret: ergo Bea-
,, ta Virgo nos per Evangelistas do-
,, cuit, omnes alij prædicatores præ-
,, dicabant per verbum creatum;
,, Beata Virgo prædicabat per ver-
,, bum increatum: ergo prædicavit
,, excellentiùs omni prædicatore:
,, ergo habet laureolam prædicato-
,, rum excellentiorem omni laureo-
,, la *prædicatorum*. Hactenùs Al-
bertus.

328. De Martirij laureola ma-
jor est difficultas, quam multi cum
Abulensi negant Deiparæ 11. Math.
q. 10. quia violentam mortem non
fuit passa. Nec satis est, ajunt, quòd
in Filij morte valdè, & ejus passio-
nibus doluerit, aliàs, qui ex media-
tione Passionis Christi vehementèr
dolent, laureolam Martirij conse-
querentur. Communis tamen senten-
tia docet, Deiparam verè, & propriè
laureolam Martirij possidere. Al-
bertus Magnus, sequutus à Suario, &
Mastrio excellentiorem laureolam
Sanctissimæ Virgini concedunt, quàm
laureolam Martyrum, præsertìm cùm
ab Ecclesia Regina Martyrum pro-
clametur. Audiatur Anselm. lib. de
excellentia Virg. cap. 5. exponens
Simeonis oraculum Lucæ 2. *tuam ip-
sius animam pertransibit gladius*, sic in-
,, quit: *Dolor* ille fuit major omnibus
,, doloribus; quòd enim crudelitatis
,, inflictum est corporibus Marty-
,, rum, leve fuit, aut potiùs nihil
,, comparatione suæ passionis, &
,, utique Domina, non crediderim
,, te potuisse ullo pacto stimulos tan-
,, ti cruciatus, quin vitam amitte-
,, res, sustinere, nisi ipse spiritus
,, vità dulcissimi Filij tui, pro quo
,, moriente conquerebaris, ut tan-
,, topere tolerares, *confortaretur*.

329. Ex his efficax demonstrat
ratio: omnia tormenta ex crudelita-
te inflicta Corpori Christi Domini
torquebant Deiparam cruciatibus, &
doloribus, naturalitèr inferentibus
mortem, ita efficacitèr, ut ex specia-
li miraculo mors impedita fuerit, nàm
sustinere illos non valeret, quin mo-
reretur, nisi speciali Dei auxilio es-
set confortata; sed ad veram, & pro-
priam rationem Martirij non expos-
citur, quòd mors actualitèr sequatur,
quin satis, superque est, quòd ita sint
mortales cruciatus, ut naturalitèr
inferant mortem: ergo ut Deipara
verè, & propriè Martyr fuerit, nihil
obest, quod in cruciatibus, & pœnis
mortua non fuerit. Major est do-
ctrina

ctrina Anselmi: Minorem confirmat Ecclesia: nam Sanctus Joannes Evangelista est verè Martyr, & ut talem eum veneratur Ecclesia; dum ob amorem Christi, & ejus fidem sivit se mitti in dolium olei ferventis, ubi naturaliter sequeretur mors, nisi per miraculum fuisset impedita: ergo ut Deipara coronetur Martyrum Regina, non obfuit, quòd præ magnitudine doloris non moreretur.

330. Argues efficaciter; estò ad Martyrium non requiratur actualis mors ex vulneribus, aut cruciatibus proveniens, tamen ad rigorosum Martyrium requiritur, quòd persecutor intendat directè torquere eum, qui Martyrio coronandus est, in odiũ Christi, & ejus fidei: sed Judæi crucifigentes Jesum, nec directè, nec indirectè Deiparam interficere, aut torquere intendebant: ergo propriè, & rigorosè Martyr non fuit in Passione Filij. Respondet Mendoza apud Urrutigoyti certamine scholastico pro Deiparæ fuga disp. 3. sect. 7. num. 75. Deiparam non habuisse palmam, & laureolam Martyrij ex opere operantis, ad quod requiritur, quòd Martyr in effectu lethaliter torqueatur in odium fidei, & Christi; at fuit verè Martyr, & meruit in Passione Filij laureolam, & palmam Martyrij ex opere operato, in quantum intuitu dolorum mortalium, quos sustinuit in morte Filij sui, placuit Deo ipsi palmam Martyrij tribuere. Verùm hac acceptione laureolæ Martyrij parùm excellentiæ tribuitur Deiparæ, ut videtur non paucis.

331. Ideò Eximius Suarez, tom. 2. in 3. partem, disp. 21. sect. 4. sic respondet: *licet* Christi interfectores directè non intenderint illam propter Christum affligere, tamen re ipsa persequendo Christum, ipsam persequebatur, & occidendo Christum, in quantum in ipsis erat, eam interficiebant; qui modus passionis, & persecutionis sufficiens est ad Martyrium, ut in Innocentibus constat, qui verè fuerunt Martyres, quamvis persecutores non intenderint occidere eos, propter Christum, sed solùm interficere Christum: ergo ex hac parte sufficienter Virgo passa est propter fidem, & propter *Christum.* Quod sic explicat Moral. *quod* quamvis interfectores Christi Domini non intenderent directè in odium ipsius Christi torquere Matrem, nec occidere; tamen id in odium Christi indirectè, interpretativè, & in causa voluerunt, & hoc sufficit ad rigorosum Martyrium, quia jam re vera per hoc verificatur, quòd Deipara passa est passione proveniente à Tyrannis in odium Filij sui, quæ passio ipsis imputata fuit ad *culpam.* Igitur splendet immaculata Regina maximâ laureolâ Martyrij, & ex opere operato, & ex opere operantis gemino titulo incomparabilis.

* * * *
* * *
* *
*

§. II.

Quæ de gloria accidentali subjectiva passiva Deiparæ restant, explanantur.

332. Ultra laureolas enumeratas vult Suarez, Mastrius, & Urrutigoyti suprà citatus, ob dignitatem Matris Dei habere Deiparam, utar verbis Eximij loco suprà citato sect. 4. singularem aliquem splendorem, qui perfectior sit, quàm omnis laureola, qui tamen inter laureolas non connumeratur, sed perfectio quædam est altioris ordinis. Rationem assignat Mastrius: quia dignitas Maternitatis est altioris ordinis, quàm est omnis alia dignitas correspondens laureolis, cùm ad ordinem unionis hypostaticæ pertineat, ad quam nulla alia dignitas pertinere valet. Cujus rationis sit hic splendor, aut formæ, Eximius non specificat, sub divisione existimat, esse corporalem aliquem mirabilem splendorem, vel aliquid aliud, quod sit veluti insigne Regiæ dignitatis, ac Divinæ Maternitatis, ac Principatus, & Dominij in omnes Beatos. Seraphicus Doctor in speculo Beatę Virginis, cap: 6. determinat hoc insigne Regiæ dignitatis, dicens, esse re vera in capite ejus diadema regni, quod Rex Regum ipsi imposuit, diadema certè tàm impretiabile, diadema tam mirabile, quòd omni linguæ inenarrabile, inscrutabile est.

333. Hinc juxta hanc sententiam verum, & non tantum hyperbolicum sensum habet dictum S. Epiphanij lib. de laudibus Virginis dicentis: *Deiparam esse radicem gloriæ*, hoc est, ut exponit Saavedra de Sacra Deipara, disp. 5. vestig. 2. num. 158. quia propter suam dignitatem radix est accidentalis gloriæ omnibus Beatis: quo sensu prosequitur, accipiendus Guarricus, dum dicit: Christum Dominum non fuisse satis glorificatum, donec glorificata est sanctissima Virgo; accidentalitèr enim gloriosus est Christus Dominus ex visione Sacræ Deiparæ. Undè formatur ratio, quòd radix gloriæ accidentalis omnium Beatorum sit ineffabilis gloria, quàm in suo Augustissimo Throno utpotè Rex Regum, & Dominus Dominantium habet Christus Dominus ita ut se ipsum ita exaltatum viderit; sit etiam Deiparæ gloria ipsiusmet Christi accidentalis gloria, & complementum accidentale ipsius: quarè judicant, quòd ut Deipara glorificata hoc munere radicandi gloriam accidentalem omnium Beatorum gaudeat, opus est, quòd in Augustissimo Throno gloriæ Filij sui sit ea sublimata, dicente Damiano Serm. de Assumpt. *Sublimis ista dies, in qua Virgo Regalis ad Thronum Dei Patris evehitur.* Sic enim videndo Filium in eodemmet Throno cum Matre exaltatum, & Matrem in ipsomet Throno cum Filio glorificatam, eademmet gloria accidentalis Matris, & Filij stat radix, ex qua completur accidentaliter gloria Beatorum omnium.

334. Major difficultas est apud Theologos circa hanc tàm sublimem exaltationem Deiparæ, an nimiùm sit

sit exaltata super omnes Hierarchias Spirituum Cælestium, & ita sublimata ad Thronum regni Filij sui, ut sit in superiori hierarchia alia ultra tres Angelicas, vel se sola hanc superiorem hierarchiam constituat? Prima pars est constans apud Theologos; Deiparam nempè non pertinere ad unum ex novem choris Angelorum; sed esse exaltatam super tres hierarchias Angelicas. Hanc conclusionem multiplici ratione, & elegantèr probat Albertus Magn. suprà citat. cap. 190. Sufficiat pro nunc audire P. Barradas totam Alberti doctrinam explanantem tom. 1. in Evang. lib. 6. cap. 12. p. *quid plura*, sic per bellè „ de Virgine loquentem: *in* Cœlum „ pervenit empyreum Beatorum „ sedem igneo splendore undiquè „ fulgentem: primam Angelorum „ percurrit hierarchiam, in qua „ Angeli sunt, Archangeli, & Prin„ cipatus: secundam pertransiit, „ quam Potestates, Virtutes, Do„ minationesque constituunt; supre„ mam quoque prætergressa est, „ in qua Throni, Cherubini, Sera„ phinique Deo propinquiores, cæ„ terisque celsiores assistunt. Per„ ge, Virgo Deipara, perge, transi „ omnium Angelorum Hierarchias; „ Matrem Dei inter Angelos con„ sistere, non est æquum, singularis „ te decet Thronus, singularis Cho„ rus. Deus bone! Tantæ Reginæ „ adventu Cœlum mutatur. Novem „ hactenùs erant Angelorum Cho„ ri, his unus omnibus cæteris cel„ siòr *additur*.

335. Undè fluit: concedere aliquos supercælestem hierarchiam aliquam distinctam à Divina trium Personarum, quæ dicatur secundaria, & ordinis unionis hypostaticæ, in qua sola inter puras creaturas resideat Deipara, utpotè ratione Maternitatis pertinens ad ordinem unionis hypostaticæ, & magis principalitèr Christus ut homo, ly *ut* reduplicante naturam humanam individuam, non verò reduplicante personam. Uti videtur innuere subtilissimus Scotus, cùm in ejus doctrina sit falsa hæc propositio: *Christus in quantum homo, ly* in quantum *reduplicante humanitatem, est Filius naturalis Dei.* Quarè si in ly *ut homo* sumatur concretum personale dicens in recto personam, fatemur Christum ut hominem esse in hierarchia divina trium Personarum, quæ dicitur hierarchia supercælestis primaria: at verò si ly *homo* accipiatur ut concretum individuale dicens in recto individuum tale naturæ humanæ, falsum est non præscindere explicitè à Deo, & à Persona Divini Verbi, quamvis dicat in obliquo illam; & in hoc sensu dicunt, Christum ut hominē principalitèr constituere hierarchiam supercælestem secundariam, & ordinis unionis hypostaticæ superiorem omnibus cælestibus hierarchijs Cælestium Spirituum.

336. Probationes hujus assertionis dilucidè affert Doctissimus F. Carolus de el Moral tract. 1. de prædestin. Deiparæ, disp. 2. quæst. 6. art. 2. à num. 33. fundatus in doctrina Seraphici Doctoris Bonaven. in 1. sent. distinct. 4. exponendo litteram

Magistri. Quamobrem non te deterreat Angelici Thomæ authoritas semper magna, qui prima part. quæst. 108. art. 1. loquitur in corpore: *Undè manifestum est, eos errare, & contra intentionem Dionysij loqui, qui ponunt in Divinis Personis hierarchiam, quam vocant supercælestem. Divinis enim Personis est quidam ordo naturæ, sed non hierarchiæ. Idem Dionysius dicit (cap. 3. circa medium Cælesti hierarchiæ) Ordo hierarchiæ est, alios quidem purgari, & illuminari, & perfici; alios autem purgare, & illuminare, & perficere, quod absit, ut in Divinis Personis ponamus.* Hactenùs Divus Thomas.

337. Cui tantæ authoritati non adversari ponentes superiorem hierarchiam se tuentur, non modò cùm percelebri sententia Gerson Chancelarij Parisiensis tract. 4. super *Magnificat*, folio mihi 425, dicentis: *Virgo sola constituit hierarchiam secundam sub Deo Trino, & Uno, hierarcha primo, & summo, apud quem hierarcham humanitas Filij sui sola sublimata sedet à dextris virtutis Dei per unitatem suppositi.* Et quidem, quod in Divinis Personis sit hierarchia, est expressa sententia Seraphici Doctoris loco suprà citato dicentis: *sciendum igitur, quod præter definitionem, quid nominis, qua hierarchia dicitur à hiera, quod est sacrum, & archos, id est, principatus, vel ordo ipsius hierarchiæ, B. Dionysius 3. ponit definitiones lib. de Angelica hierarchia; quarum prima est hæc: hierarchia est divina pulchritudo, ut simplex, & optima, ut consummata, vel ut consummativa.* Et latè per sequentia procedit, dari hierarchiam Increatam, hancque esse Trinitatem, & Unitatem, ita quod nec Trinitas præjudicet Unitati, nec Unitas Trinitati; sed Unitas spectat ad perfectionem Trinitatis, & Trinitas Unitatis.

338. Undè facilè conciliatur Angelicus Doctor cùm Seraphico: Angelicus loquitur de hierarchia, prout multitudine ordinata constituitur; ideò cum dixisset: *sic igitur distinguuntur hierarchiæ ex parte multitudinis subjectæ*, immediatè subjungit: *Vndè manifestum est errare, &c.* Ly *unde* denotat illationem desumptam ex antecedentibus dictis. Nec Divus Thom. aliam ex propria mente, sed juxta definitionem Dionysij, qua hierarchiam descripsit dicens: *est ordo scientiæ, & actio, &c.* apponit notionem hierarchiæ, & sub hac eadem acceptione dividit Sanctus Doctor hierarchiam in Angelicam, & humanam, & deinde Angelicam in tres hierarchias, juxta quam considerationem non loquitur de hierarchia, ut convenit Trinitati Personarum Divinarum.

339. Seraphicus verò Doctor explicans definitionem secundam de hierarchia, in qua dicitur est *ordo scientiæ*, &c. ly *ordo* non exponit sic, id est *multitudo*, sed sic; id est *ordinata potestas*, ut liqueat, hierarchiam non constitui essentialitèr per multitudinem, hoc solùm convenit ordini Angelico. Ex his patet quomodò sit verùm dictum Angelici, *manifestum est errare, &c.* quia tres Divinæ Personæ non est multitudo ordinata sub principe; sed sunt unicus

unicus princeps, cui omnis multitudo ordinata subjicitur. Etenim ordinatio hierarchiæ reperta in Angelis est, qua purgantur, illuminantur, & perficiuntur, quod manifestum est repugnare inter Divinas Personas. Seraphicus non loquitur in hoc sensu de hierarchia supercælesti, quam ponit in Trinitate, sed in quantùm cum Divo Dionysio eam considerat sub ratione pulchritudinis, pluralitate, & æqualitate cõstitutæ, ut simplicis, ut optimæ, & ut consummatæ: undè nullum est absurdum ponere in Virgine hierarchiam singularem super omnes Angelorum ordines.

§. III.

De gloria Accidentali activa Virginis in Empyreo.

340. CUM immaculata V. sit plena, & superplena gratiâ, ac gloriâ, plena sibi, superplena nobis, exaltatur in Empyreo propria illuminatione; qua illuminat omnes B & omnes Angelos; sic expressè Dr. Minorita Mairon Serm. de Dei Matre: *quia Deipara* (inquit) *suam vim illuminativam in mente sumit ex Personis Sanctissimæ Trinitatis, & juxta suam nominis Ethymologiam, quæ ex Hieronymo est, illuminatrix, illuminat quatuor hierarchias sibi subjectas ordinatè incipiendo illuminat tres hierarchias Angelorum, & quartam, quæ est Ecclesiastica.* Hanc sententiam scholasticè defendit Novatus Tom. 2. de Eminentia Deiparæ cap. 2. quæst. 8. & Franciscanus Urrutigoyti suprà citat. sect. 19. subsect. 5.

341. Accedunt Bonaventura in speculo B. Virginis cap. 3. ita loquens: „ *opus* Domini excellentissimum est Maria, hoc opus sicut „ plenum fuit gratiâ Domini in „ mundo, sic plenum est gloriâ Domini in Cælo; sic ergo illuminans „ Maria in gloriâ sua rutilans per „ omnia respicit; quia per omnes Angelos, & per omnes Stos. gloriæ suę „ illuminationem extendit. Hoc ipsum docet S. Petr. Dam. Serm. 4. de Assumptione, & indicat D. August. ac clarè docet Albertus Magn. in Orat. de Virgine incipiente: *S. Maria secundum nomen.* Ubi sic de Deipara ait: „ *ipsa* illuminatrix Cæli, & terræ, „ quæ in multis, & secretis Filij sui, „ & Verbi Dei Patris à sæculis in „ Deo absconditis, etiam ipsa Angelica lumina *illuminavit.* Sed luculentiùs alijs loquitur Bernandin. Senensis, qui tomo 1. serm. 61. de B. Virg. cap 4. præter alia ad miraculum præclara, hæc addit cap 8.

342. „ *secundum* Dionysium in „ Regno Cælorum omnium inferiorum dona in superioribus in tanta „ præexcellentia sunt, quòd quasi „ nulla est comparatio, nisi sicut est „ circumferentia ad suum centrum. „ Cùm ergo Beata Virgo supra omnem ordinem sit, in tantùm, quòd „ per se faciat ordinem incommunicabilem, sicut prædictum est, „ sequitur, quòd super omnes inferiores ordines, tàm Angelorum, „ quàm hominum simul sumptorum, „ ipsa improportionabilitèr est prę-

„ lata, & quidquid est gloriæ in omni inferiori glorificatâ naturâ, tàm Angelicâ, quàm humanâ, multò præexcellentiùs est in Virgine Matre *Dei.* Ex quibus verbis fortissimas rationes desumunt Theologi ad singularem Deiparæ illuminationem ostendendam.

343. Tum: quia si supremi Angeli illuminant inferiores; quia excellentiæ, & prærogativæ inferiorum relucent in superioribus: ergo omnes, nullo dempto, illuminantur à Maria, in qua relucent omnes prærogativæ modo excellentissimo inferiorum. Tum: quia si illuminantur ab Anima Christi, quam adorant, quid absurdi, quòd illuminentur ab Anima Mariæ, quam etiam adorant? Nec opponas communem sententiam Theologorum, & multorum Patrum asserentium, supremos, & primos Angelos à Deo immediatè illuminari, ut ex Athanas. lib. de communi Essentia, Sophronius in encomio de Augustino, Bernard. lib. de considerat. cap. 4. loquendo de Cherubinis;

344. Ad quod respondet Novatus, PP. locutos fuisse de Angelis ante Christi Domini Ascensionem, non post Ascensionem Christi, & Assumptionem Virginis. Displicèt hæc solutio Veritigayti, quia triumphus Christi Domini non derogavit, sed potiùs auxit Angelorum prærogativas, deperderentque illuminationem immediatam à Deo per Ascensionem Christi: quæ impugnatio non premit Fr. Carolum de el Moral, videri potest loco suprà citato art. 3. num. 48. ubi hanc illuminationem immediatam à Deo convenire per accidens Angelis superioribus defendit, non suaptè naturâ: quia cùm ordo Seraphinorum non haberet in Empyreo antè Ascensionem Christi alium ordinem, cui subjiceretur, ideò à Deo Trino, & Vno suscipiebant illuminationes; ast cùm post Ascensionem Christi, & Deiparæ Assumptionem supra se habeant alium ordinem superiorem hierarchiæ supercælestis secundariæ, ideò juxta suam exigentiam ordinis ministerialis debeat illuminari à Christo, & Deipara; quæ ejus prærogativa semper invariata in se manet, dùm illuminantur à Dominante potestate imperiali, & hoc perit ratio hierarchiæ, quæ est ratio ordinis.

345. Singularis proinde est excellentia illuminationum, quæ fiunt à Deipara, respectu illuminationum Angelorum: nam Angelis unius, vel alterius rei pertinentis ad lineam providentiæ supernaturalis competit illuminatio, nempè illius, qui aliquomodò pertinet ad talem spiritum Angelicum; ast Deiparæ competit illuminatio cum omnimoda auctione sine ullo onere, & cui voluerit communicare de omnibus, quæ attinent ad lineam providentiæ supernaturalis; quia utpotè regnans cum Filio coronato, tanquam Corredemptrix generis humani, & Correstauratrix lineæ Angelorum, & tanquam caput secundarium, & secundùm quid triumphantis, & militantis Ecclesiæ, omnes pertinent ad suum statum, & de omnibus curam habet in Cælis tanquam de subjectis ditioni suæ. Ob

hoc

hoc fatetur prædictus Scotista, quòd à momento, quo Deipara fuit glorificata permanentèr ad regnandum in Cælis, vidit in Verbo, seù in Essentia Divina omnes creaturas, & res, quas Christi Dñi Anima in ipsa videt, limitationibus suprà significatis.

346. Hinc pergit Urrutigoyti affirmans, quòd à momento, quo Deipara glorificata stetit in summo Cælo, efficit cum Angelis beatis, & hominibus in Cælesti patria jam existentibus, idem, quòd operatur cum quolibet Beato dennò ad Cælos ascendente. Pijssimum ipsi videtur, asserere, & probabilissimum, quòd in instanti sequenti ad illud, in quo quælibet anima gloriam essentialem accipit, ipsam alloquatur Deigenitrix, illamque illuminet juxta reverentiam, quam exhibuit, & exhibet suæ gloriosissimæ Reginæ, de illis objectis, de quibus aliquomodò, & aliquo titulo potest ad eam pertinere, quòd ei repræsententur in Verbo, ut sic per illuminationem Deiparæ se disponat in ampliorem glorificationem accidentalem.

347. Quamobrem pijssimum, & probabilissimum est etiam, id ipsum factum fuisse à Deipara cum omnibus Cælicolis residentibus in Empyreo, quandò ad Thronum suæ celsissimæ gloriæ fuit evecta: & relicta in optione Virginis illuminatione ad alios, in omnes eam disfundere censenda est, ne libertas ipsius retardet bonum gloriæ majoris accidentalis, quod advenit Beatis ex suæ Dominæ Majestate dicente Damiano tom, 2. serm. 40. de Assumpt. *electa*, „ & prælecta ut Sol: quia sicut Sol, „ solus totum orbem illuminat, sic „ hæc sola solidiori lumine, & An„ gelos, & homines *illustrat.*

348. Propter tantam gloriam, & majestatem adorant in Throno Altissimo Dominam, & Reginam suam Angeli, & Beati: nam etiam in alijs partibus asserit Sanctus Antoninus, part. 3. tit. 31. cap. 4. §. 2. Beatam Virginem Divinum suum, & Unigenitum Filium in secretum cubile suum non nunquam secum adduxisse, ibidemque coram eodem se se postravisse ipsum adorare volentem, ab eodemque, qui ut Deus id ipsum prævidebat, præventam, & primitus adoratam fuisse. Quòd dixerat Albertus Magn. serm. de Epiphania: *Tum Filius venit in occursum ejus, ipsamque adoravit;* quòd effatum ne videatur aliquibus dissonum, legant Seraphicum Bonaventuram in tertium, dist. 9. art. 1. quæst. 3. ad quartum, „ ita docentem: *ad illud,* quòd obji„ citur, quòd Christus honoravit „ Matrem suam, dicendum, quòd „ verum est, sed Christus non ado„ ravit eam adoratione latriæ, sed „ hyperduliæ, ideò non adoravit „ eam ut Deum, sed ut Filius Ma„ trem *suam.* Ideò benè sequitur, quòd Christus verè Matrem suam debet adorare, & venerari, sicut decet Matrem Dei. Si ita se gerit Dominus omnium cùm MARIA, quid agent servi? Utinam, ut spero, aliquando per ipsam MARIAM tàm ineffabilia experiamur, & intelligamus.

SECTIO V.

Mariana gloria connaturaliús Damasceni systemate explicatur.

§. I.

Nostro discurrendi modo gloria primi instantis Conceptionis Marianæ clarè intelligitur.

349. QUIS non clarè percipit, quòd hæc omnia mirificè dicta de essentiali visione Immaculatæ Virginis in Exordio sui esse, primoque Conceptionis instanti requirant ex parte subjecti potentias omnino expeditas; plenum rationis usum, intellectum perspicuum, & à sensibus prorsus alienum, voluntatemque nullo physico præpeditam? Quæ omnia, absque ullo negotio inveniuntur in anima separata. Sequitur proinde, quòd Deus tàm ut Author naturalis, quàm ut supernaturalis omnia hæc connaturaliùs operatus sit in anima separata, quàm in anima unita corpori mortali. Ideòque in aliorum sententia duo præcipua obstacula reperiuntur ad istam beatitudinem asserendam in Virgine: primum est, & quidem à Deo vincendum, anima dependens à corpore, ac proinde in intelligendo, & amando dependens à phantasmatibus; secundum est status viatricis. Vndè in nostra sententia primo obstaculo prorsus eliminato, tantummodò restat secundum, & adeò debile, quòd si status animæ viatricis in corpore non repugnet cum beatitudine, sivê transeunte, sivè permanente, multò minùs pugnabit cùm statu singularissimo viatricis animæ extra corpus existentis, & operantis: quarè hæc major connaturalitas Dei in elevando animam Virgineam, & animæ Virgineæ in videndo, ac fruendo, ostenditur primò ratione status separationis, secūdò ratione loci; tertiò ratione gratiæ in hoc statu, & loco Animæ Virginalis,

350. Et quidem ratione status clarissimè intelligitur; cùm omnes animę de facto, ut visione beatifica fruantur, requirant pro conditione indispēsabili à corpore separationem: nam cùm objectum videndum sit prorsus immateriale, visio adjuvata lumine, & species, vel nullę, vel quantum fas est, immateriales requirunt subjectum videns, quantùm capax est, in statu majoris immaterialitatis, sed statu separationis animæ est, ut per se patet, majoris immaterialitatis, quàm status conjunctionis cum corpore: ergo status ipse separationis reddit prorsus connaturaliorem visionem beatam, sivè transeuntem, sivè permanentem, quā status conjunctionis cum corpore; sed Damasceni systema consistit in hac separatione: igitur hoc discurrendi modo ratione status complanatur via connaturalior ad stabiliendam gloriam in primo instanti Marianæ Conceptionis, & ad intelligendos omnes actus rationis usus summè intelligibiles, & voluntatis summè meritorios, profluentes ab habitibus à Theologis cum fundamento positis

in

in primo esse Virgineo, adeò ut hæc peristhasis cum omnibus Theologis amicissima manu concordet.

351. Quod ut veriùs ostendatur, ille modus cæteris præferendus est (si aliàs ñ repugnet, ut istum ñ repugnare, conati sumus defendere) in quo Deus, tam ut Author naturalis, quàm supernaturalis Theologicus minùs habet in legibus statutis; quod dispenset; sed in isto nostro modo, nec dispensat Deus in pleno rationis usu, nec in statu separationis, omniaque comprincipia supernaturalia sine obstaculo corporis prodeunt in suas perfectissimas operationes, voluntasque, & intellectus in statu perfectissimè operandi sunt prorsus spirituali, & immateriali, omniaque spiritualia dona in omnino spirituali statu nullo impediente exercitura sua munera perfectissimo modo tunc possibili intelliguntur: ergo his status connaturalior absdubio est Virginis visioni beatificæ.

352. Ipse locus planè demonstrat intentum nostrum: nàm cùm Empyreum sit destinatum, ut ostendat Deus suam Essentiam media visione Beatis, connaturaliùs est, ut qui videt Deum, illum videat in Empyreo: quarè Deus volens Paulo ostendere gloriam, rapuit illum ad Empyreum, juxta veriorem opinionem, dicente ipso 2. ad Corinthios, cap. 12. num. 4. *quoniam raptus est in Paradysum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui*: ergo cùm Deus potuisset creare animam Virgineam in ipso Empyreo, & hæc sit congruentia illativa nostræ assertionis, quis non videat, connaturaliùs datam intelligi visionem animæ existenti in Cælo, quàm vel in ventre Materno, vel raptę à terra in Empyreum? Nam cùm consistat Beatitudo in perceptione, & visione in Empyreo, verificatum est de Virgine illud Psalmi 44. *audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum Patris tui, quia concupivit Rex decorem tuum; quoniam ipse est Dominus Deus tuus.* Nam in primo sui esse fuit oblita Patris Adami, & domus, seù familiæ hominum peccantium in Adamo propter esum pomi arboris scientiæ.

353. Accedit ad hoc, quod inquit Eximius de Angelis lib. 6. cap. 5. num. 10. Ubi postquam statuerat, Angelos vidisse ab initio Incarnationis Mysterium, asserit, vidisse pertinentia ad Mysterium Incarnationis, ac proinde vidisse Virginem, quia post Christum ut hominem nullum est objectum secundarium tantæ dignitatis, & excellentiæ, in quo divina sapientia, & divina Potentia ita resplendeat, sicut beata Virgo. Et infrà: quia sicut Christus est Angelorum caput, ita Beata Virgo est eorum Regina, & Domina, & in suo gradu, & modo Angeli sunt ejus ministri. Imò 2. in 3. part. „ disp. 2 2. sect. 1. hæc habet: *ex hoc* „ ergo ulteriùs concluditur, sicut „ Christus, vel fide creditus, vel cla- „ rè in Verbo visus, statim adora- „ tus est ab Angelis, quomodò „ multi interpretantur illud ad He- „ breos 1. *& cùm iterum introduxit* „ *Primogenitũ in orbem terræ dixit, &*

„ *adoẽ*

„ *adorent eum omnes Angeli ejus*, semel enim præceptũ est adorari ab „ Angelis; cùm primùm per fidem illis „ præpositus est, & iterum cùm re „ ipsa fuit *incarnatus*. Sic igitur etiã Beata ejus Mater cùm primùm sanctis Angelis est cognita, fuit ab eis adorata ut Dei Mater, ac Domina omniũ.

354. Undè vides, quòd sicut Christus fuit adoratus ab Angelis, dùm primò cognitus, & posteà dùm in executione productus, ita Beata Virgo fuit adorata à principio, dùm ipsis cognita, adeò ut aliqui Theologi, ut videre est apud Peralta dissert. 6. sect. 2. teneant, quòd motivum primarium, seù finis ultimatus superbiæ Luciferi, & reliquorum etiam rebellium fuerit excellentia MARIÆ, ejus adoratio, & subjectio omnis creaturæ; qui fundantur præter alia in 12. Apocalipseos, ubi narrata Conceptione Virginea per illa verba: *Signum magnum apparuit in Cælo. Mulier amicta sole, &c.* prosequitur textus: *& factum est prælium magnum in Cælo: Michael, & Angeli ejus præliabantur cum Dracone.* Fuit igitur 2. adorata ab Angelis dùm primò creata; & quis liquidò non percipiat, Animam videntem Deum adoratam ab Angelis, Angelos illuminantem, & accidentalitèr quodammodò glorificantem, connaturaliùs intelligi primò creatam in Cælo? quia quamvis Anima Christi non fuerit in Cælo primò creata propter rationes, quas suprà dedimus, cùm jam manifestaretur ibi secundùm principaliorem partem, Divinitatem nempè, & Personalitatem, nihil convincit, Animam Virgineam ibi non fuisse primò creatã; imò contrarium persuadetur.

355. Audiatur accuratè S. Vincentius Ferrer citatus à P. Francisco Garau part. 1. Deiparæ elucidatæ triumpho 12. p. 6. num. 361. qui Sanctus serm. 1. de Nativit sic ait: „ *non* credatis quòd, fuerit, sicut in nobis, qui in peccatis concipimur; sed statim postquàm corpus fuit formatum, & anima creata, tunc fuit sanctificata, & statim Angeli in Cælo fecerunt festum *Conceptionis*. Sequitur Egregius Theologus: *nempè* ad suæ conceptum Reginæ gavisi sunt Angeli, exultavit & Deus illam producens, quam jàm sui *Matrem* amabat: Unde & David testatur Psalm. 47. *fundatur exultatione universæ terræ mons Sion latera Aquilonis, Civitas Regis magni*; id est Maria; sed Angeli festum fecerunt in Cælo, non in terra, ut non de humanis pompis, sed de Divinis splendoribus concelebratam Conceptionem putemus. Tota enim Trinitas novis indulgẽns gaudijs novà se dedit fruendam glorià. In Cælo enim Conceptionis festum peractum est; hoc est in Deo, & coram Deo, & ad faciem *Dei*. Hactenus Doctissimus Garau.

356. Nec minùs hoc persuadet donum Maternitatis: nam cùm apud aliquos Theologos Maternitas Deiparæ sit quædam participatio Divinæ Paternitatis, dicente S. Bernardino de Sena tom. 1. serm. 52: *Nec in personis creatis, nec in Personis increatis reperitur hæc dignitas, nisi in una*

Per-

Persona Divina, quæ est Patris, & in una Persona humana, quæ est Matris: Quis non videat, tam singulare donum in ipso Cælo, tamquàm radicem superioris gloriæ dandum esse MARIÆ? Nam si propter Maternitatem privilegia Virginea, tàm gratiæ, quàm gloriæ concedimus Virgini, ut inquit Suarez in 3. part. tit. 2. disp. 3. sect. 5. *mensura privilegiorum Virginis est potentia Dei,* argumentari possumus quasi à priori, Maternitatem Dei non decuisse dari Virgini nisi in Cælo juxta illud Psalmi 109. ỳ. 3. *In splendoribus sanctorum ex utero ante luciferum genui te,* qui locus, ut loquitur Lorinus, applicatur ab aliquibus Virgini: ergo si donum, propter quòd fuit illi data illa gloria in primo instanti, congruum est, ut donaretur Virgini in Cælo, benè explicatur ipsi data in primo instanti gloria exacta ab ipso Maternitatis dono in ipso Cælo.

357. Et ut connaturalitatem percipias, pone nobiscum Animam Virgineam in Cælo, immensâ ornatam gratiâ, superiorem, & adoratam ab Angelis, Matrem Dei, exultabundam Trinitatem in ejus creatione, præclarioribus habitibus, & donis, ac justitiâ originali ornatam, ac proinde separatam à corpore. Negabitne Deus tali Animæ visionem beatam componibilem cum statu viatricis? Vel operabitur contra exigentiam tàm immensæ gratiæ, ac donorum? Ergo Deus ut Author naturalis, ac supernaturalis Theologicus connaturaliùs operabitur, tribuens gloriã, quàm denegans. Confirmatur: potesne concipere animam separatam à corpore in inferno habentem malitiam super omnes Dæmones, & damnatos, & odio habentem super omnes Deum; & Deum connaturalitèr operantem non illi infligentem pœnas, saltem privationis visionis beatificæ componibilem cùm statu viatoris? Ergo si Deus, qui est creditor respectu pœnæ, & quasi invitus suplicia infert, hoc ageret connaturaliùs; quid aget, ubi est solutor præmiorum, cum Matre, cum Filia, cum Sponsa, cum omni pura creatura meliori? Ergo Damasceni systemate sternitur via planior ad asserendum in Virgineo Conceptionis instanti visionem, sivè transeuntem, sivè permanentẽ, â qua præscindimus.

§. II.

Hac Animæ V. gloria in statu separationis in instanti, in quo fuit Corpori conjuncta, extolluntur, quantùm fieri potest, omnia dona, & excellentiæ Virginis.

358. SIVE attendas Philosophiæ, sivè Theologię; quantùm perfectior est forma exacta, perfectiores dispositiones debent adstrui in materia exigente: ergo cùm Anima ante conjũctionem sit in plenitudine gratiæ, & gloriæ, corpus exigens talem, & tantam Animam, debet qualificari purioribus dispositionibus, præclarioribusque donis naturalibus ad naturam ipsius Animæ, supernaturalibus ad Animam;

mam, veluti subjectum tàm singularis gratiæ, & gloriæ. Quarè planùm fit iter ad quæcumque dona excogitata in corpore, & excogitabilia, & ad cognita, & incognita dona animæ Virgineæ, ac proinde totum cōpositum Virgineum prodivit in instanti Conceptionis verè opus Excelsi.

359. Hæc intelligere possumus ex his, quæ affert Eximius tom. 2. in 3. part. quæst. 37. art. 4. disp. 21. sect. 2. loquens de Virginis resurrectione, agens quippe de transitu à via ad patriam, hæc habet: „ *undè* obitèr „ conjectare licet, in transitu à via „ ad patriam non interrupisse, aut „ intermisisse Beatam Virginem Di„ vinæ charitatis, & amoris actum; „ sed vel eundem, quem usque ad „ mortem in terra vivens liberè „ exercuit, in termino viæ majori „ quadam perfectione, & necessita„ te continuasse (si tamen verùm est, „ ut fortasse est, actum divini amo„ ris in viâ, & in patriâ esse posse „ ejusdem rationis) vel certè, si quis „ sentiat, esse diversos, saltem se„ quitur, Beatam Virginem ab actu „ amoris viæ immediatè transiisse ad „ actum amoris patriæ absque ulla „ intermissione.

360. Verisimile enim est, Ani„ mam Beatæ Virginis eo præsertim „ tempore, quo morti appropinqua„ bat, nunquàm ab actu divini amo„ ris cessasse, quia nec corporis do„ lore, nec sensuum perturbatione „ impediebatur. Quin potiùs quia „ ex Divina revelatione horam, & „ momentum sui discessus prætscie„ bat (ut PP. omnes allegati docent) „ quòad exoptatum illum terminum „ magis, ac magis accedebat, eò „ vehementiùs divina charitate, & „ amore flagrabat, atque sic dispo„ sita usque ad instans mortis, „ quod dicitur *primum non esse homi„ nis,* pervenit, in quo & videre „ Deum, & illum beatifica charita„ te diligere incepit; nulla ergo „ data fuit *interruptio.* Posteà sect. „ 4. num. 4. hæc habet: *ex his* faci„ le est intelligere, quid de gloriâ „ corporis sentiendum sit; habet „ enim omnes illas dotes, quæ om„ nibus Beatis communes sunt, tan„ tòque excellentiùs, quantò perfe„ ctiori Anima beatitudine fruitur.

361. „ Rursus ob singularem „ Filij generationem castissimam, „ atque purissimam existimo, ha„ bere in corpore singularem ali„ quem, & admirabilem splendo„ rem, vel aliquid aliud, quod sit „ veluti insigne regiæ dignitatis, „ ac divinæ Maternitatis, ac prin„ cipatus, & dominij in omnes Bea„ tos. Bonaventura in speculo B. „ Virginis, *cap.* 6. Hactenùs Eximius. Undè sic argumentari licet: sicut Beata Virgo in primo sui non esse, ut loquitur Eximius, seù in instanti mortis ascendit in Cælum omni beatitudine essentiali, & accidentali prædita, ita apud Doctores loquentes de gloria Virginis, adjuncto systemate Damasceni, in primo sui esse descendit de Cælo plena gratiâ, & gloriâ; sed propter illam gratiam, & gloriam in instanti mortis refusa sunt in corpus, tàm præclariora dona, tàm singularia charismata in Ani-

ma, tot mirabilia soli Deo Authori cognoscenda in composito: ergo hoc systemate clarissimè intelliguntur, quæcumque dona excogitare liceat in Virgine à primo suæ Conceptionis instanti,

362. Rursus: si apud istum Doctorem non interrupit Virgo à transitu viæ ad Patriam actum amoris ardentissimi erga Deum, cùm apud nos hic actus amoris ortum habuerit à primo sui esse in statu separationis in Cælo, infertur probabilitèr, hoc supposito, amorem, quo Beata Virgo dilexit Deum in primo sui esse gloriosa in Cælo, absque interruptione perseverasse in transitu à Patria ad viam, in via, & in transitu viæ ad Patriam in æternùm duraturam; applicareque possumus Virgini illud Psálmistæ *à summo Cælo egressio ejus, & occursus ejus usque ad summum ejus*: omniaq; quæ modò adorantur in Virgine, jàm ab initio habuisse exceptis illis, vel eorum effectibus, quæ cum statu passibili, & viatricis minimè cohærebant.

363. Roborantur hæc doctrinà ipsius Eximij, qui cum Div. Thom. quæst. 56 art. 1. hæc tenet. disp. 50. sect. 5 Christum hominem esse perfectissimum exemplar resurrectionis justorum, quòd probat verbis Pauli ad Philipenses 3. *reformavit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Quod etiam colligit ex prima ad Corinthios 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. unusquisque autem in suo ordine, primitiæ Christus, & deinde hi, qui sunt Christi*; scilicèt tamquam illi maximè similes, & conformes, & ideò posteà subdit: *qualis terrenus, tales & terreni, & qualis Cælestis, tales & Cælestes, sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem Cælestis.* Loquitur enim apertè de Imagine gloriæ, ubi similes ei erimus. Posteà Eximius num. 6 hæc habet: *cohæret*
„ hæc perfecta similitudo in omni-
„ bus sensibus, ac facultatibus cor-
„ poris in pulchritudine, alijsque
„ ornamentis naturæ, ac gloriæ quæ
„ in Corpore Christi existunt:::non
„ cùm ęqualitate, sed debita pro-
„ portione; quapropter non repug-
„ nat huic claritati exemplari, quòd
„ in Beatis futura sit distinctio se-
„ xuum, facierum varietas, pulchri-
„ tudinum inæqualitas, & similia;
„ quia hæc æqualitas non requirit,
„ nisi conformitatem proportiona-
„ lem cum *exemplari.*

364. Undè sicut Christus futurus est exemplar justorum resurgentium, utpotè Primogenitus mortuorum, omnesque portabimus, ut spero, Imaginem Cælestis Adam; cur non possumus dicere, Christum Incarnatum, & conceptum exemplar suæ Matris fuisse, quam sororem appellat ob similitudinem? Et si ut Evãgelista testatur, *speculantes gloriam Dei in eamdem Imaginem transformamur*, illa, quæ priùs concepit mente, quàm corpore, cur non ad Imaginem Christi Primogenitam prodeuntem ex ore Altissimi revereamur? Nec similem in Conceptione dicemus Primogenito in multis fratribus? Ergo si Christus Dominus descendens de Cælo, ubi manifestabatur secundum

divinitatem, fuit omnibus donis gratiæ, & gloriæ naturalibus, & supernaturalibus apprimè ornatus impeditis tantùm effectibus incompossibilibus cùm statu viatoris, & passibilis, debuit B. V. descendens adum Animam de Cœlo, ubi primò creata fuit in primo Conceptionis instanti, assimilari cum proportione super omnes creaturas rationales Unigenito Filio Dei; & nostro discurrendi modo hæc similitudo maximè commendatur, & declaratur.

365. Nam Angelicus Doctor Opusculo 58. cap. 25. sic ait: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, id est Deiformes, & Deo secundum Imaginem similes; nec potest creatura ad majus promoveri, quàm quòd suo assimiletur Creatori; assimilatur autem homo Deo virtute Corporis Christi.* Quid dicemus non de filijs adoptivis, sed de Matre naturali? Loquatur Bonaventura in speculo cap. 1. 8. & 10. ubi ait: *Supergressa est MARIA cunctas filias, supergressa est in natura, supergressa est in gratia, supergressa est in gloria universas filias, id est universas animas, & universas intelligentias.* Petrus Damianus, serm. de Nativ. Virginis: *Quemadmodum nullum est astrum, excepto Sole, adeó pulchrum ut Luna; sic summa gloria est post Deum videre Virginem, adhærere illi & in illius protectionis munimine commorari.* Idiota lib. de MARIA. cap. 1. *Tota pulchra es, Virgo gloriosissima, non in parte, sed in toto, & macula peccati, sivè mortalis, sivè venialis, sivè originalis non est in te, nec unquam fuit, nec erit.* Finem faciam cum Anselmo lib. de excellentia Virginis cap. 8. *Quid ampliùs dicere possumus, Domina? Immensitatem quippè gratiæ, & gloriæ, & celsitudinis tuæ considerare incipienti, & sensus deficit, & lingua fatiscit.*

§. III.
Opusculi sinopsis.

366. CUM totius laboris scopus sit concordare naturam cum gratia, & philosophiam cum Theologia, & huic innitatur systema de creatione Animę Virginis extra corpus, in ipsoque instanti reali infusio Animæ gratiosæ in ipsum corpus; ut plenum, & perspicuum iter muniatur scholasticis, initium duximus à principijs communioribus, & inconcussis, ut ascenderemus ad probabiliora; idcircò à nihilo, à quo omnis creatura sumit exordium, ordimur stabilientes, quid sit creatio in communi, ut gradus fiat ad creationē animæ rationalis, ac proindè ad creationem Animę Virgineę, quę utpotè ejusdem speciei cum cæteris animabus, idem principium essendi sortitur. Cùmque non fuerint animæ rationales ab æterno, creationis tempus designamus cum Philosophis, & cùm anima sit propter hominem generabilem, tempus præfigimus, dùm corpus organicum ultimò organizatum exigit animam, quia est 1ma intētio generātis ut sit homo; est enim anima actus primus corporis physici organici, non obstante ejus spiritualitate, & immaterialitate.

Un-

367. Undè concluditur, ita animam Virginis fuisse creatam, cùm esset verè genita Virgo, sicut cæteri homines, ipsiusque Beata Anima actus primus illius corporis purissimi: ubi aliqua de perfectione corporali Virgineà prælibamus. Cùmque de loco creationis animæ nulla appareat investigatio, cùm debeat creari intra corpus, ejusque principium essendi esse principium informandi, investigamus, an Deus ut Author naturæ possit creare animam rationalem extra corpus ultimò organizatum? Et insistentes varijs Philosophorum placitis statuimus probabilitèr, posse naturalitèr hoc evenire, perpensis exigentijs, & ex parte animæ, & corporis. Manus quippe damus adstruentibus formã embrionis, vel corporeitatis, vel aliquam aliam materialem consistentem in particularum seminalium harmonia, vel cum aliquo, si fortasse velit defendere, materiam existere posse naturalitèr sine forma. Hinc monitum te etiam, atque etiam velim, quòd nos ne latum quidem unguem discedimus vi nostri systematis ab his Philosophis: isti enim, si ponant formam embrionis ultimò complentem corpus in linea corporis; sed ita, ut nunquam conjungatur in eodem instanti reali cum anima rationali, sed desinat esse embrio in ultimo instanti præcedenti in transitu, & in fieri conversionis; nos paritèr ponimus in Conceptione Virginea. Si ponant formam Corporeitatis subordinatam, & perseverantem cum anima rationali, nos idem asserimus in Conceptione Virginea, & sic cum reliquis. Uno verbo, quidquid naturalitèr accidit in Conceptione humana philosophica communi, quando anima rationalis primò creatur intra Corpus, idem, & eodem ordine, ac modo evenire ostendimus in Conceptione singulari Virginea; cùm non invertatur naturæ lex per creationem Animæ B. extra corpus. Undè, si defendatur instãtanea generatio, precedet materia seminalis; si judicetur non instantanea, intelligetur corpus completum in linea corporis, vel pereunte forma non subordinata, vel permanente subordinata in transitu conversivo ad animam viventem.

368. Ast cùm instans reale creationis sit etiam instans reale infusionis, negotium nostrum est, quomodò hoc fieri posset naturalitèr in unico instanti reali, declarare doctrinis, & exemplis ab omnibus admissis. Ob oculos ponimus, vel majorem, vel æquam probabilitatem motùs localis instantanei spirituum ab uno loco ad distantem sine transitu per medium clarissimà doctrinà Eximij, dicentis lib. 4. de Angelis, cap. 18. quòd neutra sententia efficacitèr probetur; imò ingenuè fatetur, se negare transitum naturalem ab uno loco ad distantem sine transitu per medium, non ob rationes, sed ob conjecturas, & ut faciliùs percipiatur. Idcircò convincitur intrinseca fortior probabilitas naturalis motùs instantanei localis de loco ad locũ distantissimum Angeli, & Animę separatæ. A communioribus ad singularia procedentes statuimus, ita de fa-

ctio evenisse in mirabili Virg. Conceptione; fundati in eo, quòd ad cõciliandam doctrinam Ecclesiæ cum Philosophia, & Theologia debemus eligere modum clariorem, & minùs miraculosum, & non videtur modus clarior, neque connaturalior, cùm ab omnibus sentiatur probabilitèr naturalis, ac proindè à contradicentibus parùm miraculosus judicari debeat; damusque fundamenta ad hoc de facto asserendum, & rationibus Philosophicis, & à modis discurrendi Theologorum in alijs materijs, & ab harmonia posita ab Angelico, & Eximio in executione Incarnationis Christi Domini, & propter ipsam Ecclesiam Theologos compellentem ad declarãdas suas veritates via clariori Philosophis, & germanà cùm principijs Theologicis.

369. Et ne authoritates Patrum desiderentur, quæ sunt maximum columen in Theologicis nodis, affertur, & explicatur ad litteram Sanctus Joannes Damascenus, ita ut primas ferat in isto systemate propter energiam, & perspicuitatem ejus doctrinæ hoc super puncto. Exaltat authoritatem Damasceni usus Ecclesiæ allegata Damasceni verba inserentis Horis canonicis; qui character expenditur à nobis, utpotè mirificè conducens ad assertionem magis, ac magis radicandam. Deindè argumenta insurgentia, & à Concilijs petita; & à Philosophia desumpta, & ab absurdis emanantia, quæ directè nos impetunt, conamur solvere, relictis illis, quæ indirectè, seú quæstiones præliminares enervant; cùm hæc à suis Patronis soluta reperiantur in suis locis, & in ipsis responsionibus majora roboramenta prędamur in favorem nostri asserti, ac modo loquendi Alexandri VII. in celeberrima constitutione *sollicitudo omnium Eccl'siarum* penitus tutamur.

370. Transitum deinde facimus ad rimanda Theologorum sensa de peccato originali, & ejus transfusione, de ejus subjecto, causa efficiente, & constitutivis, ut lumen affundatur nostræ doctrinæ. Hinc propiùs accedimus ad Theologos immediatè disputantes de Virginis Conceptione mirabili, & præservatione ab originali peccato, & principaliores opiniones circa ordinem decretorum Dei percurrimus, & omnes venerantes, neminem impugnantes, desideramus ordinem executionis, miramurque altum super hoc silentium, conamurque evincere, quòd ut finis intentus, & effectus prædestinationis Deiparæ correspondeat connaturaliùs Decretis intentivis, debet adstrui executio, ut à nobis cogitatur.

371. Qua data occasione denuò roboramus assertionem nostram novis argumentis, communimus majoribus authoritatibus, affigimus semper pro Cynosura respicientes mentem Damasceni. Quo stabilito, audimus Authores loquentes aliquomodò de via executiva Conceptionis Virgineæ propter quasdam qualitates supernaturales, quas collocant in Corpore Virgineo, quas omnes nos non negamus, sed libentissimè concedimus, eosque adducimus ad con-

sens

sentiendum systemati nostro, ob oculos illis ponentes, Animam Virgineam vi gratiæ sanctificantis pæservatam fuisse ab originali. Hæc omnia roboramus alio systemate, cogitato exposito, sed planè à nobis impugnato, & exploso, & insurgimus authoritate semper efficaci Damasceni, convocatà in auxilium ejus doctrinà philosophicà circa naturam.

372. Hoc enodato facilioris negotij est explicare clariùs isto systemate dona naturæ, & gratiæ, quæ Theologi tribuunt Virgini, priùs indicando principaliora dona, & posteà ipsis donis nostrum roborantes assertum. Tātumodò supererat designare locum creationis Animę Virgineæ, ejusque gloriam in primo instanti ab aliquibus concessam aliquantulùm contemplari; quòd ut faciliùs expenderetur, calamo breviori percurrimus formationem, & dona Eve, Matris viventium, cùm Irineus, lib. 3. contra Hæreses, cap. 33. Hieronymus in Epist. ad Eustochium de custodia Virginitatis, latiùs Aug. serm. 35. de Sanctis, Mariam contraponant Evæ, ut videre effusè est apud Eximium, tom. 2. in 3. part. quæst. 37. art. 4. disp. 18. sect. 4. Undè nos inferimus, Animam Virgineam primò creatam in Empyreo, quòd Patribus, & Scripturis valdè pro nobis stantibus, quantum nobis licuit, demonstravimus, levioribus difficultatibus enodatis.

373. Collocatà Virginea Animà in Empyreo immensa ornatà gratià, innuimus, quid Theologi senserint de gloria data Virgini in primo Conceptionis instanti, de istius magnitudine, & extensione. Nec tacemus, quid de accidentali gloria, tàm subjectiva, quàm positiva ipsi Theologi excogitaverint, & defenderint; & omnibus consentientes declaramus, probamus, & insistimus, quòd nostro discurrendi modo gloria primi instantis Conceptionis Marianæ, tàm essentialis, quàm accidentalis clarè intelligitur in nostro isto Damasc. systemate: & extolluntur, quantum fieri potest, omnia dona, & excellentiæ Virginis in ipsam profluentes, & illa animæ suæ gloria in statu separationis, in instanti, in quo fuit corpori conjuncta.

Quæ omnia ut coronà claudantur, accipe, quòd habetur in vita Damasceni. Cùm Leo Isauricus Romanum Imperium gubernabat, adversus Imagines erat tanquam Leo rapiens, & rugiens. Quæ postquàm ad Joannis aures pervenerunt, ad Orthodoxos, quibus notus erat, pro venerandarum Imaginum amore libellos Epistolares mittebat, quibus illud eruditissimè monstrabat, Divinarum Imaginum adorationem necessariam esse. Quibus auditis, Leo in rabiem actus egit cum Damasceno Sarracenorum principe, ut amputaretur dextera manus Joanni: quæ excisa in Oratorium, quod domi habebat, ingreditur, pronoque omnino corpore ante Divinam Imaginem, quæ Deigenitricis gerebat effigiem, pro-

provolutus excisam manum pristinæ suæ commissuræ admovens obsecrare cæpit; Mater misericordiæ: *obdormivit illico Joannes, atque in somnis Sanctæ Deigenitricis Imaginem vidit placidis, & lætis oculis ipsum intuentem, ac dicentem:* Ecce sanitatem; restituta est manus tua. *Experrectus igitur ille, qui sanatus fuerat, cùm excisam manum contemplaretur, eamque sanatam conspexisset, spiritus exultavit in Deo salutari suo, atque ipsius Matre, quoniam fecit illi magnum, qui potens est: Divino consilio, ac providentia linea quædam elucebat in dextera Damasceni, verissimam excisionem ostendens. Eccce à qua manu doctrinam de Virginis Conceptione hausimus.*

(***)

LAUS DEO.



IN:

INDEX TITVLORVM.

DIS-

Ad majorem Dei gloriam.



ERRATA SIC CORRIGE.

Pag. 17. Columna 1. num. 41. *secundam*, lege *secundum*.

Pag. 26. Colum. 1. num. 61. *istius*, lege *istiusmodi*.

Pag. 28. Colum. 2. n. 69. *licèt nostra sententia*, lege *licèt neutra*.

Pag. 29. Colum. 1. *fatetur se pro affirmativa*, lege *pro negativa*.

Pag. 65. Colum. 2. num. 150. *quia*, lege *qui*.

Pag. 126. Columna. 1. num. 308 *plenariæ*, lege *plenariè*.

Pag. 131. Colum. 1. num. 324 *fuisse*, lege *esse*.

Pag. 139. Colum. 1. num. 348. *adorotam*, lege *adoratam*.

Pag. 142. Colum. 1. num. 353. *præpositus*, lege *propositus*.

O. S. C. S. M. E. C. A. R.